Imprimatur,

Z. Iſham, R. P. D.

1689. Hen. *Epiſc.* Lond. *à Sacris.*

(2), 331, (1) P.

Imprimatur,

Z. Iſham, R. P. D.

1689. Hen. *Epiſc.* Lond. *à Sacris.*

(2), 331, (1) P.

Miſcellanea,

In quibus continentur

Reſponſio ad nuperas D. Simonii in libro ſuper fide Græcorum de dogmate Tranſſubſtantiationis cavillationes.

Diſſertatio, in quâ integritas & αὐθεντία illius celeberrimi loci 1 Epiſt. S. Joannis, cap. V. verſ. 7. vindicatur.

Defenſio ſuperioris Diſſertationis contra exceptiones D. Simonii in Criticâ hiſtoriâ novi Teſtamenti.

Commentarius in ſecundam S. Petri Apoſtoli Epiſtolam.

Authore *THOMA SMITH*,
Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.

LONDINI,
Impenſis *Sam. Smith*, ad inſignia Principis in cœmeterio D. *Pauli*. M.DC.XC.

Miscellanea.

RESPONSIO

AD

Nuperas D. SIMONII Cavillationes.

CUM D. Simonio, quem Hiſtoriæ Criticæ ſuper fide & ritibus Orientalium Authorem fuiſſe conſentiens fama vulgaverat, primùm reſpondiſſem, naturæ, quâ ad benè ominandum de aliis, etiam diverſæ communionis, hominibus, qui inveſtigandæ veritatis amorem præ ſe ferunt, propendeo, facilitate non leviter motus, in animum planè induxi meum, me cum viro iis moribus ac tali mente prædito, qui in inquirendâ veritate omne partium ſtudium procul amandaſſet, & meliora monenti cedere neutiquam reluctaretur, de barbaro ac novo tum vocabulo, tum dog-

mate μελισπάστως, quod malis artibus in Græcanicam Ecclesiam nuper irrepserat, utpote superioribus seculis inauditum, cæterisque capitibus, quæ hunc articulum tanquam appendices sequuntur, controversiam qualem qualem initurum. Nondum enim illius genium cognoram, qui, ut ex edito contra me libello, quod credere penè invitus cogor, nimium patet, ferendis litibus in æternum aptus natus videtur, ne dicam rixarum plus æquo amans & cupidus. Non hoc malè affectus erga D. Simonium, quem alias laudare soleo, loquor: dolet autem, animum ultra mediocria erectum, summis industrium, magnarumque rerum capacem, e pruritu innovandi, præsertim in rebus sacris, ubi lusus ingenii non impunè permittitur, velle inclarescere, aut opinationibus malè conceptis & fundatis, quas sevit natura, & præjudiciis, quæ educationi debentur, adeò laborare posse, ut veritatem penè perspectam & oculis tantum fulgorem vix sustinentibus quasi obversantem non agnoscat. Interim ne sibi plaudat,

dat, aut pœana ob devictam Græciam triumphatumve D. Cyrillum, ut placidè fingit, canat, omni procul odio, invidiâ, ſimultate, aut contradicendi, ubi nulla ſubeſt cauſa, æſtu, & abſque verborum profuſione (non enim rhetoricari aut mimum agere in re ſeriâ aut libet aut licet) breves quaſdam ſtricturas, quas ex induſtriâ contraho, ne cum tædio Lectoris excreſcant, quæ tamen juſtæ & in longum productæ reſponſionis vicem ſupplebunt, apponere viſum eſt, ut inde cordatus & omni malo affectu vacuus lector, habito diligenti examine, apud ſe ſtatuat, utri è nobis defendendæ veritatis, quam læſam querimur, quamque ſalvam cupimus, ſtudium tribui debeat.

Ut ſuſpicionem, quâ laborabat, è liberiore ſtylo, quam qui cum Romanæ Eccleſiæ placitis & decretis convenire videatur, omnémque invidiam inde orituram, quaſi minùs rectè de religione ſenſiſſet, à ſe amoliatur D. Simonius, pervicaciæ & obſtinationis dicam reformatæ Religionis, quam hæreſeos ſtigmate admo-

dum Chriſtianè & pleno Catholicæ charitatis animo inurit, cultoribus impingit, planè attonitus, quod *quidam ex ipſis auſi ſint aſſerere, apud Orientales Chriſtianos reperiri, qui Tranſſubſtantiationis dogma non amplectantur:* quo arcano in ipſis epiſtolæ dedicatoriæ initiis impertiendus erat D. Archiepiſcopus Rothomagenſis, cui ob muneris Eccleſiaſtici adminiſtrationem ſe obnoxium eſſe profitetur.

Sed omiſsâ in præſenti lite, utri fidem Catholicam magis ex animo *Chriſti* & Apoſtolorum retineant, qui eandem juxta ſacrarum Scripturarum normam & primitivæ Eccleſiæ placita, exigi velint, vel qui novis putidiſque additamentis, quorum origo ſuperſtitioni, typho, aut ſeculari commodo maximè debetur, incruſtatum eant, & quam injuſtiſſimè infami iſthoc titulo traducamur, num vitio Proteſtantibus vertendum eſt, quaſi extra ſe ex nimio hæreſeos ſuæ amore abrepti, omnes modeſtiæ limites tranſiliiſſent, quod, cum Græcos, vel ſuperioris ævi (neque enim

de hodiernis Græcis quæstio agitur) μετουσίωσιν, ultra maximam miraculorum vim obstupescendam, non admisisse asserant, ad illorum Liturgias, Confessiones, Catecheses, cæteraque scripta, publicâ Ecclesiæ authoritate munita, in contestatione facti appellaverint? In quibus omnibus ne minima quidem mentio hujus dogmatis, eo quo in Scholis Romanensium adstruitur modo & sensu, reperiri hactenus potuit.

An omnibus, qui hoc argumentum tractaverint, sit felicior D. Simonius, qui non sine stupore plurimorum iterum insurgit Transsubstantiationis Patronus & Hyperaspista, hoc *opusculo Ecclesiæ futuro utili*, hac novâ & repetitâ defensione zeli & pietatis plenâ, quicquid hactenus peccaverit, expiaturus, cum ad examen testium, quibus innititur, quos omnino admittendos contendit, deveniendum sit, æquus Lector judicabit.

Ad ejusmodi testes, ad acta authentica paritèr provocamus: ejusmodi arbitris & judicibus totam litem cupimus decisam; sint modò judices

æqui, modo, omni affectu & partialitate ſepoſitis, ſententiam juxta regulas, quas figit Eccleſia, ferant, modò concordes ſint, & à conſtantiſſimâ majorum traditione neutiquam devii: modo teſtes ſint incorrupti, & fide digni, neque ullâ juſtâ exceptione ſubmovendi.

Quaſi verò hi omnes ab ipſius partibus ſteterint, & res eſſet in propatulo ultra omnem dubitationis aleam poſita, ſocordiam nobis in præmonitione ad Lectorem exprobrat D. Simonius, quod *animum noſtrum ad vera Eccleſiarum Orientalium dogmata intelligendum non accuratè, prout oportet, advertamus*, utpote aut otioſi aut ſaltem minimè perſpicaces; & queritur *Catholicis*, hoc eſt, ſibi ſuíque ſimilibus, *moleſtiam inde creari ſolitam illos reducendi in viam veritatis, a quâ deerraverint, quaſi parum vel nunquam ipſis verum loqui contingat, quando de fide Eccleſiæ Orientalis agitur.* Ita pro ingenti, quâ pollet, modeſtiâ univerſam Reformatorum gentem perſtringit, ipſis æternum ſilentium impoſiturus. Quippe hoc modo,

ipſo

ipſo cenſore, peccavit D. Claudius, cujus illuſtre nomen magis magiſque vigebit, & æternitati conſecrabitur: identidem peccavit Smithius, cujus falſas argumentationes in conſpectum Patroni ſui proferre facili operâ in ſe ſuſcipit, hac iniquiſſimâ cenſurâ additâ, me ſub præſidio itineris, olim in Orientem ſuſcepti, & ingenio ſi quod habeam malè uſum, contra conſcientiam, edito libello de Græcæ Eccleſiæ hodierno ſtatu, ejuſdem ſectæ hominibus facilius & promptius fucum feciſſe. Dum in longinquas peregrinationes, tanquam parum utiles, eo quod domi plus & melius ſapere liceat, invehitur, etiamſi omnium ſeculorum experientiam ſibi adverſantem habeat, illum commento ſuo placidè frui patior: at quod levi prætextu me falſi arguat, & veteratoriè & ſubdolè agere criminetur, excuſabor ſanè, ſi honeſto, quod virum probum & ingenuum maximè decet, famæ vindicandæ deſiderio & ſolicitudine impulſus, juſtæ indignationi habenas laxavero contra hunc egregium calumniatorem, qui alios

ſuo modulo inſulsè metitur. Hoc enim à meis moribus alieniſſimum eſſe, qui me norunt, interpoſitâ fide teſtabuntur. Quod ſi hoc ſibi perſuadeat idemque aliis perſuaderi velit D. Simonius, neminem de religione Orientalium aut accuratè aut fideliter ſcribere poſſe præter Romanæ Eccleſiæ addictos, meros ludos agit, quaſi cæteri omnes ſoli partium ſtudio litantes, omnem fidem ſacrilego planè auſu ejuraſſent, parum de Deo, acerrimo quæſitæ falſitatis vindice, parum de proborum, quibus iſtud flagitioſum crimen ſemper diſplicebit, cenſurâ, parum de ipſis, utpote profligatiſſimis famæ decoctoribus, & ab omni pudore, qui vel ipſos gentiles paulò urbaniùs educatos rarò deſtituit, vacuis, ſoliciti. Vibrato in nos hoc cenſorio fulmine, Miſſionarii ſuæ communionis, quos tanquam indoctos inſulſoſque Monachos, partim ex odio, partim ex imperitiâ, Orientalium ritus Eccleſiaſticos & Theologiæ dogmata, imperfectè nec ſine mixtura mendaciorum in ſuis relationibus, ad denigrandam

grandam illorum famam, exhibentes, ſæpe ſæpius, in hac potiſſimum hiſtoriâ Criticâ, aggreditur, minus ſuccenſebunt: quam verò rectè, ipſi, quorum maximè intereſt, viderint.

Dolendum eſt ſane D. Simonium, qui Neuſtriam, ut fertur, petere invitus cogebatur, in Orientem non relegatum fuiſſe, quod non pœnæ ſed beneficii maximi loco collocaturus eſſet, modo ſibi conſtat, ut exinde recentium Græcorum, qui poſt damnatam D. Cyrilli confeſſionem voce iſtâ barbarâ uſi fuerint, ſuffragia colligeret: hâc vero novâ libelli editione ab omni periculo ſibi præcavet, multa, ut proximè videbimus, ſupprimendo, ne juſſu ſuperiorum felix iſta opportunitas, quam mihi tantoperè invidet, Orientem inviſendi ipſi fortè obtingat.

Dum enim celeri oculo capitulum primum, quod denuo recuſum baſin & fundamentum ſubſecuturæ reſponſionis poni voluit D. Simonius, vel levitèr percurri, multa immutata, multa deleta & penitus expuncta, multa

multa inſerta & de novo addita obſervavi, quod me ad examen hujus editionis cum priori magis ſedulò faciendum invitavit. Tantam verò diverſitatem è vitioſè deſcripto Apographo non oriri potuiſſe aut caſu factam fuiſſe, cuivis lectori, niſi ſit planè obeſæ naris & ad ſtupiditatem uſq; deplorati ingenii, facilè ſubolebit. Totam miſcellam de Cyrillo Lucario narratiunculam, è vanis rumuſculis, ineptulis conjectationibus, & puris putiſque mendaciis conſutam ſuppreſſit pudor, cætera metus; quippe pro ſagacitate ſuâ ſatis gnarus erat, ſe partes & famam boni Catholici vix ſuſtinere poſſe, ſi ſecundæ Nicænæ Synodi Patribus litem de errore ab iis admiſſo in re facti intentare denuò pergat; ne fortè generalium Conciliorum, qualia qualia ſint, infallibilitati detrahere videatur: Jeſuitas non admodùm patienti animo ferre, ſi in urbe Principe Galliarum in illos motuum tumultuumque, quibus miſerrimum in modum afflicta erat Græcia, ex implacabili odio in Cyrillum, quem à Patriarchatu dejicere

cere omnibus artibus machinísque ſtudebant, originem refundat; licet jam ad illorum aut iram leniendam aut gratiam captandam, prorſùs adulatoriè illos in iſtâ re officio ſuo benè defunctos fuiſſe aſſerat; hoc cauſæ, quam ſuſcepit defendendam, non parùm officere, ſi plures Epiſcopos, Sacerdotes, & Monachos idem cum D. Cyrillo ſentientes Lector Catholicus apud ipſum reperiat, aut Græcos ſcriptores, qui hac voce, quâ de contendimus, uſi fuerint, in Scholis Latinorum, à quibus novam hanc doctrinam, in Græciâ poſtea propagandam, didicerunt, ſtuduiſſe; nimiam iſtam παῤῥησίαν, ne dicam audaciam, quâ Græcam vocem μεταβάσεως *barbarum* pariter ac novam appellaverit, acerrimis Zelotarum cenſuris obnoxiam fore, utpotè quæ adeò ſignanter & clarè exprimit peculiare iſtud & præcipuum Romanæ Eccleſiæ dogma, *de mirabili illâ & ſingulari converſione totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini; quam quidem*

Supplem. pag. 25.

quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime, ut loquuntur Concilii Tridentini Aſſeſſores, *Tranſſubſtantiationem appellat*: de illo non immeritò dubitari poſſe, an miraculis, quibus legendæ & futiles Monachorum Romanæ Eccleſiæ libri ſcatent, ad fidem Tranſſubſtantiationis adſtruendam elaboratè fictis, & quæ apud ſtultam & credulam plebem ubivis obtinent, credat ille, qui de ejuſmodi obſtupeſcendis & abſurdis relationibus apud Agapium Græcum monachum ſuâ non intereſſe, *modo veræ ſint*, *modo falſæ*, repetitis curis dixerit; deniquè honori Eccleſiæ Romanæ malè conſultum eſſe, ſi iterum exſtitiſſet, Meletium Syrigum, externâ licet profeſſione Græcæ communionis monachum, Romanenſium partibus addictiſſimum, licet ita ſe res habuerit, *Orthodoxam Eccleſiæ Orientalis confeſſionem juſſu Synodi Moldavienſis correxiſſe & explicuiſſe*: unde conjecturam facere liceat, quo tempore & quorum ſubſidio nova hæc dogmata, quæ Scholaſticorum ſubtilitates ſapiunt, introducta fuerint.

rint. Reliqua omiſſa aut additamenta, crebraſque mutationes referre omninò piget, & labor planè ingratus eſt.

In cæteris hiſtoriæ Criticæ fidei Orientalium partibus idem feciſſe D. Simonium, ad oculum invictis argumentis demonſtravit D. Baſnagius, quorum vis nullâ tergiverſatione eludi poſſit. Quantos enim clamores & tragædias excitaſſet D. Simonius, ſi quis in alieno opere nequiter ingenioſus, planè menti ipſius contraria & à propriis effatis diverſa inferciendo, *ea ad Calvinianæ religionis placita accommodaſſet!* Ad Autographum penes ſe provocat, cujus videndi copiam petere cuiquam ſalvâ urbanitate vix fortaſſe licebit. Quanto conſultius fuiſſet, ſi varietates iſtas non à ſuâ ſed alienâ manu infertas, Dei nomine ſolennitèr invocato, quod res tanti momenti exigere videbatur, aſſeruiſſet. Sed cuicuimodi ſit, nolo hujus primi capitis varietates verſatili & deſultorio D. Simonii ingenio, multò minus menti illius, ipſi parum conſtanti, imputare. Facilè dabit,

Supplem. pag. 54.

dabit, non eandem scribendi licentiam Parisiis ac Amstelodami concessam esse, & caute illic ab eo agi oportere, qui ab heterodoxias suspicione immunis esse velit, nec si quisquam veritatis vindicandæ zelo accensus, à communibus, quæ in Scholis regnant, placitis, spretis insuperque habitis calumniâ & periculo, dissentire ausus sit, id per censores, in iis, quæ religioni reformatæ vel aliquantillum favere videantur, aut delendis, aut in aliam formam immutandis oculatissimos, licere: cujus perfidiæ sub obtentu fidei Catholicæ sartæ tectæ conservandæ illustre in editione opusculorum reverendissimi & eruditissimi Viri D. Petri de Marcâ Archiepiscopi Parisiensis exemplum habemus, nullis negandum strophis, nullis defendendum argumentis. Nescio sane, an rem D. Simonio gratam facturus sim nec ne, cui mens à præjudiciis liberior quam multis suis contribulibus obtigit, si existimavero, aliis potius quam ipsi hasce variationes attribui debere, hoc præsertim tempore, ne Romanæ Curiæ

riæ aſſeclæ, ſi libellus ſuſpecti Authoris inemendatus prodiiſſet, purum putum Catholiciſmum Pariſienſibus parum curæ & cordi eſſe quererentur. Abſque hiſce emendationibus, vix credo unum ex Approbatoribus dicere voluiſſe, *nihil in iſto libello reperiri, quod vel fidei dogmatibus, vel Chriſtianæ Theologiæ, quæ circa mores verſatur, placitis repugnet.*

Quod verò haſce omiſſiones & mutationes aut nullius momenti eſſe, aut ſaltem fieri oportere pertendat, *eo quod cum caput iſtud in duobus opuſculis planè differentibus eſſet imprimendum, neceſſarium foret quippiam immutare, quod utriuſque opuſculi ſeapo accommodari poſſit, manente eodem ſenſu,* puerile & nugatorium eſt; cum ſcopus capituli, quo de lis movetur, in utraque editione idem ſit & eſſe debeat, & ex ejuſmodi momentoſis variationibus (neque enim minutiores ullatenus moror) ſenſus alter & longè diverſus oriatur, in animum Lectoris artificiosè inducendus. Suppl. p. 23.

Recocto hoc capite, iiſque, quæ cenſuræ forent obnoxia, expunctis aut

aut in aliam formam redactis, insolenti fastu elatus, quasi rem extra omnem posuisset controversiam, in propriis laudibus minimè parcus, non ignorari curat D. Simonius, quali plausu probationes istæ, quibus usus fuisset, à multis viris doctis (h. e. earundem partium fautoribus) excipe-

La creance del' Eglise Orientale sur la Transsubstantiation. p. 39.

rentur, utpote *tanti ponderis & momenti iisdem visæ, ut iis Protestantes respondere posse ne ipsi crederent quidem:* quorum blanditiis ita delusus videtur, ut perquam suavi errore fingat, hac de causa responsum non nisi post biennium expletum editum fuisse. Miseret me hujus deplorandæ levitatis, quæ in virum sapientem & probè sanæ mentis cadere vix possit, quasi toto hoc tempore, omnibus ingenioli mei nervis intentissimè adhibitis, responsionis exspectatæ difficultate primò absterritus, tandem, ne tam forti ac validâ manu oppugnatus, indicto alias silentio, me penitùs victum faterer, post hosce laboriosos conatus, post tantam, quâ miserè excruciatus eram, solicitudinem, ità malè & imbellè,

Pag. 40.

&

& minus quam debui, partes meas & famam ſuſtinuiſſem, ut longè optatius foret, ſi ab hoc inauſpicato auſu omninò abſtinuiſſem. Iſâ fortaſſe excandeſceret D. Simonius, ſi cavillationes, quas pro invictis habet demonſtrationibus, reſponſo vix dignas (quidni enim amicorum meorum judicia proferre mihi non paritèr liceat) multis viſum iri dixero, ſaltem non tanti eſſe habendas, quaſi de univerſis Proteſtantibus ac de Græciâ, hac longâ dilatione, malè meritus, causâ cadam neceſſe ſit, niſi temporius quam juſta exigat occaſio, orbi literario libellum obtruſiſſem. Illum de ſe pluſquam modeſtè, & prout libet, ſentire, & Suffenum æmulari permitto, modò non injuſtè criminetur, me a naturâ tam hebeti & tardo ingenio effictum, quaſi multum aut laboris aut temporis in iis difflandis eſſet impendendum. Sed de hac re penes Lectorem judicio pollentem & ab iniquis anticipationibus liberum judicium eſto.

Dixeram Gabrielem Philadelphienſem primum inter Græcos, vel

saltem inter primos, barbaram istam vocem μετουσιωσις usurpasse: nec id temerè, aut absque debitâ cautelâ: licet neminem è Græcis scriptoribus, à quibus mutuari posset, illo antiquiorem agnoverim, nec adhuc agnoscam; pari modestiâ & cautelâ vix à quoquam improbandâ acturus, si Petrum Blesensem, scriptorem fœcundo ingenio præditum, vel potius Stephanum Æduensem in præsenti dicam, primum inter Occidentales, vel saltem inter primos accensendum esse, qui barbaram istam vocem *Transsubstantiatio* aut effinxerit, aut ad rem Eucharisticam applicuerit; quando istæ lites, quæ Christianum orbem dudum commiscuêre, magis magisque ingravescere cœperint, posteà à Scholasticis majori ingenio elaborandæ. Frustra enim apud Lanfrancum aut Algerum, qui de Corpore & Sanguine Domini in Eucharistiâ adversus Berengarium ex professo scripsêrunt: frustra apud Hugonem de S. Victore & Petrum Lombardum, aliosque qui rem Sacramentariam fusè tractarunt, ne ad superiora longè ante

te

te natum Berengarium ſecula remigrem, quiſpiam hoc monſtrum vocabuli reperiat, ſedulis ſecundiſque D. Simonii curis in aliquo codice Manuſcripto poſthac reperiendum. Quod ſi contingat, neque illi hujus arcani felicitèr detecti gloriam invidebo, neque mihi, uti ſpero, læſæ veritatis dicam ille intentabit, quod de ſuppare voce Græcâ hactenus fecit, quod huic Epiſcopo aut iſti Archidiacono Londinenſi tanquam primo Authori, vel ſaltem inter primos eandem aſſertum iverim.

At *centum annis Gabriele antiquior Gennadius hac voce uſus eſt*, cujus authoritati, cum nihil habeam quod opponatur, ut quoquo modo ab hiſce ineluctabilibus, quibus premor, anguſtiis elabi poſſim, cum admiſſum errorem confiteri pudeat, dicit *me teſtimonium illud ſuppoſitionis accuſare.* Ut de me triumphum majori agat cum decore, in Miniſtros, (quod elogium triobolarium Declamatorum more & planè ſcopticè arripit in ignominiam eorum, qui ſe miniſtros Dei & Jeſu Chriſti eſſe profitentur, Pag. 40.

maximo honori ducentes, quod, prout ſacrum illud, cui obeundo deputantur, miniſterium exigit, iis, qui æternæ ſalutis hæredes futuri ſunt, una cum ſanctiſſimis Angelis miniſtrantibus, in rebus ſpiritualibus ac divinis vel aliquantillum inſerviendo uſui eſſe poſſint) mente abalienatâ invehitur, tanquam in fungos & ſtipites, vel potius tanquam in barbaros, quos penitioris doctrinæ ſtudium deſtituit, & quibus vile illud concionandi munus incumbit, & quibus ſolummodo curæ eſt ignobilioris argumenti controverſias aut concionibus aut ſcriptis tractare. Quis crederet virum, aut ingenio aut bonâ mente præditum, hoc à ſe impetrare potuiſſe, ut cenſuram improbam & iniquam & ab omni ſpecie veri alienam exerceat? Quid hoc aliud eſt, quam fortitèr calumniari? De hiſce Miniſtris utpote bonarum literarum rudibus admodum modeſtè cenſet, neutiquam mirandum eſſe, ſi diſſertaturi de rebus ad fidem Eccleſiarum Orientalium ſpectantibus ſuam prodant ignorantiam: ut verò Smithius

Pag. 45.

us iſte, *qui ſe nuncupat Presbyterum Eccleſiæ Anglicanæ, qui iter in Orientem ſuſcepit, & qui in fide Græcorum indagandâ peculiarem operam poſuiſſe videtur*, horum *Miniſtellorum*, ſi non mores, ſaltem *ſtylum ſequi* & imitari pergat, hoc obſtupeſcendum eſt, & quod penè omnem ſuperat fidem: hoc eſt, quod D. Simonius, tanti ſtuporis contemplatione quaſi obrutus, non poſſe ſatis mirari videtur. Eheu! quam acres pœnas à cenſorio & pungente calamo infligendas hac audaciâ merui, quæ non adeò facilè condonabitur! Quantum eſt hoc ſceleris, quod inſulſi monachi, qui venerando illius Patriarchæ Conſtantinopolitani nomine abuſus eſt, fidem in dubium vocaverim!

Ad impactum crimen falſi revincendum, non tantum argumenta negativa, prout objicit D. Simonius, quæ tamen vim non minimam nec facilè evitabilem in multis habent, ſed ea quoque, quæ ex ipsâ homiliâ, utpote Scholaſticorum ſubtilitatibus, iſtius ævi Græcæ Eccleſiæ Theologis incognitis, ſuffarcinatâ petuntur, ad-

hibui: quod fuſius in ſequentibus patebit. Ad illa uſque tempora tum vocem μεταβολὴν, tum illius explicationem, h. e. quod deperditâ elementorum ſubſtantiâ ſolæ ſpecies manent, illos penitus latuiſſe è Damaſceni, Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani, Nicolai Cabaſilæ, Simeonis Theſſalonicenſis, aliorumque ſilentio, vi veritatis compulſus fatetur,
Pag. 45. hoc effugio rem ſalvam fore cupiens, de his Theologis nullam inter illum & me litem moveri. At in ipſo concilii Florentini tempore vocem iſtam nondum cuſam fuiſſe, maximè hinc conſtat, quod, cum eâ, modo exſtitiſſet, plurimæ eæque juſtæ occaſiones ſuppeterent utendi, in vocum, quæ apud Patres è vetere & recentiore Græciâ paſſim obtinuerant, uſu conſultò prorſus acquieverint. Ita Seſſione xxv. Græci loquuntur, ὁμολογῶμεν διὰ τῶν ῥημάτων τοιούτων τελειοῦσθαι τὸν θεῖον ἄρτον, καὶ γίγνεσθαι σῶμα χριστοῦ: quæ verba peſſimâ fide reddit Caryophilus, *fateri nos diximus per hæc verba tranſſubſtantiari ſacrum panem, & fieri*

Concil. Florent. edit. Labb. p. 491.

ri corpus Chriſti. Ita duo iſti Doctores, qui paulò ante finitum concilium, jubente Eugenio quarto, coram Græcis diſſeruerunt de ſacro pane, quod τὰ πνευματικὰ λόγια ἁγιάζουσιν αὐτὸν, καὶ μεταποιοῦσιν εἰς σῶμα χριστοῦ, ἃ μὲν αἱ τῶν ἱερέων εὐχαὶ *verba Dominica illum ſanctificent, inque corpus Chriſti tranſmutent, non verò ipſæ Sacerdotum preces:* Græcis nimirum contendentibus, τελείωσιν Sacramenti, ſive myſticam iſtam converſionem, verbis Conſecratoriis licet prolatis, non niſi poſt preces de Spiritus S. in dona propoſita illapſu à Sacerdote adhibitas peractam fuiſſe: nec aliâ voce Græcâ Beſſarionem Epiſcopum tunc Nicænum uſum fuiſſe in iſtâ Græcâ Originali Confeſſione Græcorum nomine v. die Julii 1439. exhibitâ, clam tamen ipſis, utpote inconſultis, tribus unâ cum Imperatore ad hujus arcani cognitionem admiſſis, ut è Syropulo liquet, quovis pignore contenderem: licet interpres ille Nicolaus Sagudineus Euripontinus, δυλεύων τῇ ἑρμηνείᾳ, licentiâ illaudabili reddat---*Verba Dominica eſſe illa,*

Pag. 501.

Apud D. Mabillon. in Muſeo Italico tom. 1. part. 2. pag. 243, 244.

la, quæ mutant & transsubstantiant panem & vinum in corpus verum Christi & sanguinem, & quod illa verba divina Salvatoris omnem virtutem Transsubstantiationis habent. Hic enim ad verba supra posita allu-
Pag. 515 sum est: quod etiam ex Synodicâ definitione, cui subscripserunt Græci, clariùs patet, nempe ὁ ἀζύμῳ ἢ ἐνζύμῳ ἄρτῳ στέργω τὸ τοῦ Χριστοῦ σῶμα τελεῖσθαι ἀληθῶς, ἵστε ἱερεῖς ἐν θατέρῳ αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου ὀφείλειν τελεῖν *pane triticeo sive azymo sive fermentato corpus Christi veracitèr confici, sacerdotesque in alterutro ipsum corpus Domini debere conficere.* Eandem quoque loquendi formulam à veteribus derivatam, nullâ μεταποιήσεως habitâ mentione, post Synodum finitam retinet Gregorius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Protosyncellus, & postea Patriarcha, in apologiâ adversus Marci Eugenici Episcopi Ephesini epistolam, τὰ τοῦ κυρίου ῥήματα, ἅπινα μεταποιήσας τὸν ἄρτον ἐν—&c. iterum post, τοῦτο τὸ ῥῆμα τὰ περιέχόμενα μεταῤῥυθμίζει---quæ verba è S. Joanne Chrysostomo mutuatur: à quo

quo ſe quoque ſententiam, quam in concilio hac de re protulerat, mutuatum eſſe profitebatur Beſſarion. Facilè nec ſine caùsâ mihi perſuadeo, Latinos hac cautelâ ex induſtriâ uſos, à Scholaſticis myſterii Euchariſtici explicationibus conſultò abſtinuiſſe, ne Græcos ejuſmodi novitatibus, quibus nondum aſſueverant, offenderent, aut intempeſtivè interpoſitis hiſce difficultatibus, unionem tantoperè deſideratam impedire viderentur. Quod pace D. Mabillonii dictum volo, qui, ut in præfatione ad librum de Liturgiâ Gallicanâ, ex ejuſmodi vocibus, *transformatio*, *verum corpus*, &c. ut de teſtimoniis poſt appoſitis, quæ in alienum ſenſum malè intelligendo detorquet, nihil jam dicam, dogma Tranſſubſtantiationis perperam concludit, ita ex iſtâ confeſſione Græcorum, quam protulit Beſſarion, Græcos eandem cum Romanenſibus de Euchariſtiâ fidem iſto tempore tenuiſſe illum nondum probaſſe nec probare poſſe credo.

Omiſſis cæteris levioris momenti, quæ ipſæ ſe deſtruunt, cavillationibus,

bus, ad præcipuum controverſiæ caput de Gennadio venio, in cujus hiſtoriâ retexendâ plurimum & citra modum erraſſe Allatium & Poſſevinum aſſerit D. Simonius. Sed in hiſce litibus non me immiſcebo, contentus pauca de Gennadio dicere, quæ vero proxima videntur.

Pag. 48.

Georgium Scholarium politioris literaturæ ſtudiis florentiſſimum, & ſapientiæ apud ſuos laude & famâ maximè celebrem, utpote Διδασκάλου ſive Doctoris titulo decoratum, imprimis verò Marco Epheſio charum, arctiſſimaque neceſſitudine conjunctiſſimum, dum conſilia de pace Eccleſiaſticâ cum Latinis ineundâ Conſtantinopoli agitarentur, ab ipſo Imperatore conſultum fuiſſe teſtatur Syropulus, qui fidem de ipſo conceptam neutiquam fallens, quibus methodis inter diſputandum de capitibus Theologicis inter Græcam & Latinam Eccleſiam controverſis, ſi in Italiam religionis ſolius, non politici fœderis & ſubſidiorum inde petendorum causâ, iretur, melius eſſet utendum, probè oſtendit. Hunc non multò

Hiſt. Conc. Florent. ſect 3. cap. 6. pag. 49.

tò poſt Joannem Palæologum Imperatorem Florentiam comitari & concilio interfuiſſe, etiam dum adhuc Laicus eſſet, ipſe, cui hoc honoris ob ſubacti judicii & eruditionis famam deferebatur, quando ſententiam rogatus in concilio peroravit, diſertis verbis teſtatur, Vir ſanè Unionis Eccleſiaſticæ, ſine quâ patria ſalva vix eſſe potuerit, cupidiſſimus. Num illæ orationes, quæ ſub ipſius nomine comparent, à Caryophilo Latinitate donatæ, ſint ipſius nec ne, à multis dubitatur: ſed, ſi quid judico, immeritò quidem. Nam licet grandia de Eccleſiâ Occidentali habeat, quæ adulationem proximè attingunt, & Eccleſiæ Græcæ ſi non ad dedecus & infamiam, ſaltem diminutionem ſpectare videntur, hoc viro cato & prudenti condonandum eſt, qui hiſce artibus Oratoriis Pontificis Romani gratiam captare, inque eorum animos ſibi faciliorem aditum parare ſeſe inſinuandi ſtuduerit. Ad has autem Orationes, aut ejuſdem argumenti ſimiles illum in iſtâ adlocutione alluſiſſe certo certius videtur. Interpolatas for-

Conc. 13. *tom.* 11 *edit. Labb. p.* 480.

fortaſsè non negaverim, ut tanti virí commendatione cauſa Romanenſium adjuvaretur. Hinc tamen concludi poſſe neutiquam concedo, ac ſi Eccleſiæ ſuæ partes deſerendo, ab hoc tempore ſe totum Romanæ Eccleſiæ addixiſſet. Poſt, cum eſſet Conſtantinopolim reverſus, quidni illum una cum cæteris ſententiam mutaſſe, & Unionem iſtam Florentinam, quam totus Oriens ut Eccleſiæ dogmatibus traditionibuſque παλαιοπαραδότοις maximè damnoſam & veteris Eccleſiæ proditricem acerrimis convitiis proſecutus eſt, inſuper habuiſſe dixerimus? Quod luculentiſſimè patet ex Laonico Chalcocondylâ, qui dicit Romanum Pontificem, poſtquam Græcos in aliam ſententiam in religionis negotio, de quâ convenerant, plane abire audiiſſet, Byzantium quoſdam viros eruditos miſiſſe, ut cum Græcis diſputarent, ὁι δὲ πρόιεντο τὴν γενομένην σφίσι σύνοδον κατὰ τὴν Ιταλίαν, Μάρκῳ τε τῷ Εφέσου ἀρχιερεῖ, ὃς δὴ τὴν ἀρχὴν τιθεμένῳ τῷ τῶν Λατίνων δόγματι τὸ παραπαν, καὶ σχολαίῳ τῷ τόλε παρ' Ἕλλησι τὰ ἐς σοφίαν εὐδοκιμοῦντι,

Hiſt. lib 6. pag. 156.

μένοι, *qui quidem Synodum in Italiâ factam non admittebant, præſertim cum Marco Epheſio, qui ne quidem ab initio Latinorum dogmati vel minimum omninò aſſenſum præbuit, & Scholario ob ſapientiam celebri:* nam hic, ut patet, licet jam retractâ ſententiâ, articulo de Proceſſione Spiritus S. à Filio Florentiæ olim aſſenſerat. Quo tempore vitæ religioſæ inſtitutum in ſe ſuſceperit incertum eſt. Sane in epiſtolæ ad Bohemos Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ nomine A.Ch.1451. miſſæ ſubſcriptionibus ſe Monachum appellat. Eſto Monachus, h. e. propoſito ac profeſſione, (fruſtra enim iſtius epiſtolæ ἀωνυμίαν ſollicitat Allatius) admodum veriſimile videtur illum, ſi ſeculo renunciaverit, nondum ſacris ordinibus initiatum fuiſſe, (quod diſertis verbis aſſerit Phranzes in Chronico lib. 3. cap. 19. ex verſione Pontani, *Tum Epiſcopi, qui fortè aderant, paucique de Clero, & Laici, ſapientiſſimum & doctiſſimum Georgium Scholarium, etiamnum Laicum elegerunt, quem & Gennadium mutato nomine nuncuparunt.* V. hiſtor. Polit.

Polit. Constantinopol. pag. 15. & Malaxum apud Cruſ. p. 107.) quo tempore ad ſolium Patriarchale eveheretur, utpote tum τῆς Βασιλικῆς κρίσεως κριτὴς *Judicii Imperialis aſſeſſor*, ſive judex: quæ dignitas ſive præfectura, cum in rebus civilibus, (Eccleſiaſticæ enim ad Patriarcham ſpectabant) ordinandis maximè conſtaret, cum Sacerdotali munere parum competere videtur. Expugnatâ Urbe, ſupremum Eccleſiaſticæ dignitatis apicem, impellente Mohammede, à quo donis & maximis honoribus auctus erat, adipiſcitur Georgius noſter, aſſumpto nomine Gennadii, prout uſu veniebat: quam, aut graviſſimi oneris aut rerum mundanarum tædio, poſtquam ultra quinquennium ſediſſet, reliquiſſe, inque Monaſterium S. Prodromi in monte Menæcæi prope Serras ſe contuliſſe ſcribunt * Georgius Phranzes, † hiſtoriæ civilis Conſtantinopolitanæ Author, & Manuel Malaxus in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, ubi triſte pereuntis Græciæ fatum & miſerrimam jam per totum ferè Orientem Chriſtianorum

* *Lib. 3. c. 19.*

† *Apud Cruſium in Turco-Græciâ, p. 120.*

norum ſub jugo Ottomanidarum ingemiſcentium conditionem luxit & deploravit, non quaſi irâ & dolore commotus, cum plurimos è Græcis unioni nuper ſancitæ cum Latinis impensè deditos vidiſſet, quæ eſt futilis D. Simonii conjectura, ſeceſſiſſet. *Pag. 60.*

Scio Allatium, magno quidem apparatu id molitum, contendere duos eodem tempore fuiſſe Georgios Scholarios ejuſdem cognomenti & profeſſionis; unum infenſiſſimum Latinorum hoſtem, alterum eorundem egregium fautorem: illum ne pedem ex Græciâ moventem inglorièvixiſſe, hunc concilio Florentino interfuiſſe, & poſt captam Urbem, ad gubernacula Eccleſiæ Orientalis provectum; huic omnia opuſcula, quæ Latino nomini favent, attribui debere, alteri, quæ Græco. At, at, præcipuum illud argumentum, quo utitur, modò hæc omnia, quæ ſub ementito Gennadii nomine exſtant, genuina eſſent, vix procederet, ſcripta hæc inter ſe pugnantia uni eidemque Authori neutiquam competere,

ac

ac ſi unus idemque Gennadius pro variis iſtorum temporum circumſtantiis à ſe diverſus videri non poſſet. Amore erga collabentem & jam ruituram Patriam, & iſtius diſſidii, quod Occidentem ab Oriente invicem abalienatis affectibus abruperat, conciliandi deſiderio potentèr abreptus, pacificâ αυξκαταβάσει multa Latinis in Synodo præſens conceſſit; quæ tamen, poſtquam omnes ex Italiâ ſubſidiorum ſpes in nihilum abierint, maturiori cum ſuis deliberatione domi habitâ, retractavit, dogmata Græcæ Eccleſiæ acriori zelo propugnaturus. Neutiquam verò mirari ſubit, ſi Romanenſes cauſam ſuam tam ſacro ac inſigni nomine munire ſatagant, Apologiam præſertim pro quinque concilii Florentini capitibus ipſi adſcribendo: quam tamen Arcudius & Caryophilus, parum ſegnes aut delicati in diſcernendis Gennadii libris, ipſi prorſus abjudicant. Quicquid olim (quod repetere planè oportet,) ſenſerit Gennadius pacis ſarciendæ causâ in favorem & gratiam Latinorum de dogmate Proceſſionis

onis S. Spiritus à Filio, illum poſt reditum ſecundis cogitationibus relictum, palinodiam ceciniſſe, & ſibi cum cæteris in tuendâ Orientalium fide conveniſſe ex Chalcocondylâ ſupra evici, & ulteriùs patet ex doctiſſimo, quod Ὀρθοδόξου καλαύζων inſcribitur, ſyntagmate Londini excuſo A. Ch. 1624. 4°, quod editor, (is erat, ni fallor, Nicodemus Metaxa, poſtea Epiſcopus Cephalenienſis) in epiſtolâ ad quatuor Patriarchas, qui tum Eccleſiam Orientalem regebant, præfixâ, Patriarchæ noſtro Gennadio abſque omni ſcrupulo aſſerit.

De cæteris opuſculis ſub tanti nominis patrocinio, quod credulos lectores faciliùs alliciat, orbi literario obtruſis idem ac de Apologiâ pari jure dicendum arbitror. Quod autem ad titulos, quos libri præ ſe ferunt, ſpectat, nulla fides iis à naſutioribus adhibebitur, niſi aliundè conſtet, eorundem materiem & argumenta aut cum ſtylo aut cogitatis ſententiiſque Authoris, cujus eſſe dicuntur, in ſcriptis ἀνοθέτοις abundè & evidenter aſſertis maximè congruere. Ti-

tulos enim libris quandoque ſuperaddunt Librarii & Exſcriptores lucri causâ, ut inde perquam commodè vænirent, & credulo emptori chariori pretio obtruderentur; quandoque mali homines, qui partibus plus æquo addicti, & victoriæ magis quam veritatis amantes, ſtrophis & technis inſtructi, Authorum, quorum ſacra habetur authoritas, ſuppoſititiis libris adverſarios, non aliter in contrariam partem trahendos, premere moliuntur. Gratulamur ſeculo ingentem illum & gemmis longè pretioſiorem codicum Manuſcriptorum, qui in bibliothecâ Regiâ Pariſienſi hodie aſſervantur, theſaurum: at quantilla pars gloriæ ex opuſculis Gennadio adſcriptis derivari aut poteſt aut debet! Eſto æmula, imò præferatur Vaticanæ, in cujus forulis diſcutiendis ſummam collocavit induſtriam Allatius, adeò ut ipſi æque noti eſſent, ac cuiquam ſua domus & ſupellex: cujus inopia è bibliothecâ Regiâ facilè ſupplebitur: cum perpauci è libris Gennadianis Romæ ſuperſint, vel ſi alicubi deliteſcant, eos

dedità

dedità operâ ſpiſſis tenebris premi vult D. Simonius. Si poſt Caſauboni, Ducæi, Sirmondi, Valeſii, Cotelerii, qui de literis præſertim Sacris & Eccleſiaſticis præclariſſimè meriti ſunt, in membranis illis pretioſis tractandis optimè collocatos labores, D. Simonius alteram S. Clementis Romani epiſtolam integram, Polycarpianam epiſtolarum S. Ignatii ſyllogen, Quadrati & Ariſtidis Athenienſium, Melitonis Sardiani & Apollinaris Hierapolitani Apologias & Orationes Imperatoribus Hadriano & Marco Aurelio Antonino oblatas, Hegeſippi hiſtoriam Eccleſiaſticam, Græcum Irenæi adverſus hæreſes exemplar, Origenem περὶ ἀρχῶν, alioſque primævæ & incorruptæ antiquitatis libros illic reperiſſet, quam bibulis auribus, quantis plauſibus, & quam ſonantiſſimâ gratulatione hoc lætum nuncium excepiſſemus, relictis in Orientem longinquis peregrinationibus, rectà Pariſios, ſi per edicta liceret Regia, properaturi! nunquam ſaltem ab importunis clamoribus eſſet ceſſatum, donec hoc peculium,

in commune totius orbis Chriſtiani commodum, typis Pariſienſibus ex auguſtæ Bibliothecæ angulis in publicam lucem extruſum, ceſſiſſet. Hoc calidiſſimis votis petimus & exoptamus, ut hi ſimileſque libri quam maximè venerabiles munificentiâ Principum è monaſteriis montis ſancti, Aſiæ minoris, & Ægypti, ubi fortè adhuc deliteſcunt, tandem aliquando eruantur. Interim non iniqui aut ingrati rerum æſtimatores erimus, aut ruſticitatis poſtulandi, ſi in Regium iſtud omnigenæ eruditionis gazophylacium & penu merces falſas & adulterinas interdum advectas eſſe ſuſpicemur.

Nolo hic in texendo opuſculorum Gennadii catalogo operam inutilitèr collocare: neque enim id ad inſtitutum propoſitum facit; non aliis mihi vindiciis opus erit, poſtquam oſtendero quicquid ſub nomine Gennadii editum ſit à Syrigo aut D. Simonio, quod Tranſſubſtantiationis, prout in ſcholis Romanenſium obtinet, dogmati faveat, juſtos characteres & notas ſuppoſitionis in ſe continere.

Verbis

Verbis adeò ambiguis utitur D. Simonius in altero Gennadii producendo teſtimonio, ad authoritatem prioris ex Meletio Syrigo petiti firmandam, ut incautus lector ad credendum faciſè induci poſſet, illum in eandem homiliam ſive epiſtolam (quo enim titulo inſigniendus ſit hic famoſus libellus, varius eſt & inconſtans) felicitèr quoque incidiſſe. At nihil utriuſque in duobus Gennadii contra Latinos tomis in Bibliothecâ Regiâ aſſervatis, illo de hac re tacente, adhuc reperitur: quod ſi reperiſſet, fortioribus argumentis, quam ex nudo libri titulo, quandoque ad libitum à Falſariis pro re ſuâ inſcribi ſolito, illud eſſet demonſtrandum. Ad finem autem ſecundi voluminis multa addi fatetur D. Simonius, quæ Gennadii non ſunt, puta epitomen actorum concilii Conſtantinopolitani de reſtituendo Photio, tractatulum Petri Patriarchæ Alexandrini de Azymis, dialogum περὶ πνεύματος, cum aliis contra Latinos, & denique excerptum illud de ſeptem Sacramentis, in calce opuſculi ab ipſo publicatum. Pag. 282. Pag. 257.

Quod nihil adversus nos facit, nec μετουσιώσεως dogmati ullatenus favet. De septenario isto mysteriorum numero, (qui non nisi post millesimum à Christo nato annum in Græcam fuit introductus Ecclesiam) illic agitur, in quibus pari modo, & ad eandem normam explicandis Græci superioris seculi quoque conveniebant, & præsertim Jeremias Patriarcha, qui, in primo ad Theologos Wirtembergenses responso, multa inde αὐτολεξεὶ exscripsisse non immeritò existimari possit, ex hac saltem suppositione, si integer iste codex, uti dicitur in fine, propriâ Sylvestri Syropuli manu describeretur. Putabimusne Jeremiam in opusculis aut incerti aut obscuri hominis, qualis est hujus fragmenti Author ἀνώνυμος, Gennadio συγχρόνου aut paulò antiquioris, investigandis inque proprium usum convertendis adeò diligentem, potuisse ignorare quid Gennadius, vir nominis celebratissimi tum ob eruditionis famam, tum ob integritatem vitæ, scripserit, qualicunque vitæ statu, sive Laicus, sive Patriarcha, sive Monachus,

Pag. 283.

nachus, aut si scivisset, tanti viri sententiam & placita noluisse amplecti? cujus testimonio Theologorum Germanicorum ora quam facilè obturasset, hâc aut simili verborum formulâ; nos Græcos nimirum dogma Transsubstantiationis juxta Latinorum Scholasticorum determinationes amplecti! Ita enim centum abhinc annis unus è præclarissimis meis Antecessoribus ὁ πάνυ Gennadius docuit, & μετουσίωσιν hanc controversam, quâ voce, animi sensa clarius & accuratius exprimendi gratiâ, subindè utitur, particulatìm asseruit, & argumentando statuminavit. Ab hoc insignissimo Ecclesiæ nostræ Doctore hujus dogmatis explicationem haurimus, uti ille à majoribus. Non ita desipere potuit Jeremias, cui inerant probitas subactumque judicium: hoc fraudem ipsi, illa aliis fieri neutiquam permissura. Ille enim Ecclesiæ Græcæ, cui cum summâ laude præfuit, in re Eucharisticâ fidem à majoribus traditam enarrare contentus, μεταβολὴν sive conversionem elementorum in ipsum corpus & sanguinem

Christi, post sacros ritus à Sacerdote legitimè ordinato adhibitos, tantum statuit; nihil de substantiali panis & vini deperditione habet, nihil de accidentium per se & extra subjectum subsistentiâ, nihil de reliquis subtilitatibus ἀποκοπάτοις, quæ ingenii vel acutissimi vim effugiunt, ne verbum quidem protulit, ubi res maximè exigere videbatur. Hoc grande Theologiæ arcanum ipsum penitus latebat, quod ὑποβολιμαῖος Gennadius adeò dilucidè ad mentem Scholasticorum contra sui temporis, si dis placet, hæreticos explicavit. At ne displiceat D. Simonio, si iterum importunè interrogavero, quo malo fato accidebat, quod de hoc præcipuo Christianæ religionis articulo in istâ fidei confessione ἀναμφισβητήτῳ, quam Mohammedis Urbis expugnatoris rogatu scripsit verus ille Gennadius, prorsùm siluerit? De cæteris adorandis nostræ religionis mysteriis, stylo simplice & castigato, & mente admodum sobriâ, non lasciviente ingenio aut affectatis verborum elegantiis, piè & orthodoxè ad mentem Scripturarum & Catholicæ

licæ Eccleſiæ agit, articulorum Tridentinorum, qui jam novam Romanenſium fidem conſtituunt, omni mentione penitùs omiſſâ. Fruſtra & ineptè cavillabitur, quiſquis dixerit hæc ſacratiora Theologiæ arcana patefieri non debere, quod eſt ſuave & ridendum D. Scheleſtrati commentum, & prudenter ab eo omiſſa, utpote ſolis Myſtis communicanda. Æquè ridiculum & abſurdum foret eauſſari, omnia capita religionis Chriſtianæ in tam brevi compendio contineri vix poſſe, quaſi Gennadius cum Romanenſibus, de ſacrificio Miſſæ, de tranſſubſtantiatione, de communione ſub unicâ tantum ſpecie, de igne purgatorio, de primatu Papæ, reliquiſque peculiaribus Romanæ Eccleſiæ definitionibus pari modo ſenſiſſet: ſed ſi ea credidiſſet, confeſſionem edere non dicendus eſſet ad convertendos Turcas, ſed ipſam fidem celando prodere. Gennadio autem erat longe alia mens, alius animus. Cum vero de Sacramentorum inſtitutionibus nihil dixerit, multo minus Tranſſubſtantiationis dogma, quod

quod ejuſmodi eſt, ut fundamentum Chriſtianæ religionis planè evertat, eamque Atheorum, Judæorum, Mohammedanorum, & Scepticorum ſannis & ludibrio reddit obnoxiam, in iſta confeſſione interſerendum eſſe ille pateretur.

At! at Gennadius linguæ Latinæ non ignarus erat, & haſce argutias potuit è Thomæ Aquinatis ſummâ in linguam Græcam conversâ expiſcari. An iſtud Angelici, ut dicitur, Doctoris opus tunc exſtiterit Græcè, Demetrii Cydonii aut cujuſquam alius operâ, redditum, non anxius inquiro; modò legiſſet Gennadius Aquinatem cæteroſve Scholaſticos, illum iſthoc lumine inter legendum colluſtratum, deſertâ Orientalis Eccleſiæ doctrinâ, in partes Romanenſium tranſiiſſe, cuinam, mores animumque Græcorum ab hujuſmodi ſtrophis & argutiis averſum introſpicienti, veriſimile videbitur? Apage inficetam conjecturam ſoli imaginationi, quæ fabellis ἀσυχάπις ludibriiſque rerum ſeſe ſolet oblectare, innitentem. Sic homines nimio diſputandi

di æſtu abrepti, & plus æquo partibus addicti, quod volunt, facilè credunt, ac incertas fallaceſque conjectatiunculas pro argumentis obtrudunt. Ipſe ſanè Gennadius, ne ex lectis Latinorum libris aliquam ἑτεροδοξίας labem contraxiſſe videatur, hujus calumniæ ſuſpicionem à ſe amoliri deditâ induſtriâ ſatagit. En verba, quæ è dialogo ipſius contra Judæos profert D. Simonius, κἀγὼ γὰρ τὴν λατινικὴν οἶδα γλῶσσαν· ἀλλ' οὐκ ἐρῶ λατῖνος εἶναι, διὰ τὸ μὲν φρονεῖν ὡς λατῖνοι φρονοῦσι *Latinam linguam novi, non inde tamen Latinus dicendus ſum, qui longè alitèr ſentio, quam ſentiunt Latini.* Pag. 289. Eat nunc D. Simonius, & per me licet, ſibi blandiatur, Gennadium, non minus quam Gregorium Chienſem & Meletium Syrigum, cum Eccleſiâ Romanâ in hoc argumento Euchariſtico convenire: credo tamen perpaucos in eandem ſententiam ituros. Soluſne ſapuit hac in re Gennadius? neminemve potuit, aut argumentorum vi aut præſtigiis verborum, in patrocinium hujus dogmatis allicere? Sed cauſa patet. Pag. 100.

Explicationes

plicationes hujuſmodi, quibus uti ſupponitur, erant aut minus orthodoxæ, aut penitus novæ & incognitæ. Alterutrum horum planè ſtatuendum videtur. Si enim aut notæ aut veræ fuiſſent, ab iiſdem locutionibus tantâ authoritate munitis vix abhorruiſſent iſtius aut ſuccedentis ævi ſcriptores: ex illo numero vel unicus proferatur ad uſque tempora Gabrielis Philadelphienſis, qui μελισσώνων in ſe ſuſceperit defendendam. Num verò Gennadius, ſtrenuus Eccleſiæ Græcæ propugnator, ab ejus communione heterodoxa Latinorum dogmata amplectendo, tandem defecerit? Credo neminem ſanæ mentis hoc aſſerturum. Si verò defeciſſet, totus jam factus Λατινίζων, præterquam quod ab iſtâ criminatione illius fama apud ſuos illæſa & immunis hactenus manſerit, mirandum eſt, ne unum quidem è tot diſcipulis, quos habuit, in tantâ concertandi libidine, quâ quiſque fertur, ad eaſdem partes tuendas pertrahi potuiſſe. Virorum aut ingenio aut eruditione aut dignitate illuſtrium exempla, modò rectè ſentiant,

ant, modo ſecus, in alterutram partem vim habent, & ad imitandum potenter invitant: nemo tamen per centum annos reperitur, qui in hiſce novitatibus Gennadium ſecutus fuerit; nemo, qui in hoc pretioſiſſimum Gennadii χειμήλιον inciderit, præter unicum Meletium Syrigum.

Quâ Bibliothecâ, ſive apud Græcos, ſive apud Latinos, an in archivis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, aut in tabulariis monaſteriorum montis ſancti, aut Romæ, aut alibi locorum, hic Gennadii manuſcriptus codex hactenus latuerit, penitus tacet Syrigus: cum vero pro conſuetis veteratorum artibus libri ſub fictis nominibus ſæpe ſæpius comparere ſoleant, ſtultæ credulitatis eſſet, fidem Græco monacho in Italiâ educato, qui immodicum in propagandis Romanenſium placitis zelum ne dicam intemperiem ubivis, quantum ex ἀποσπάσματι edito conjectari fas erit, prodit, citra moram & qualecunque examen adhibuiſſe, præſertim cum ſuſpicio, eaque neque levis neque injuſta, oriatur,

tur, illum, nulla probatione, nullo argumento, nullo indicio adhibito, ubi author, quem crepat, reperiendus eſſet, malâ fide egiſſe, ſi ex materiæ argumentorumque illic contentorum naturâ impoſtura non potuiſſet deprehendi; nec mitius erat excipiendus Syrigus, qui tantâ cum confidentiâ prodit, nominis, ad quod venerationis causâ univerſa Græcia aſſurrexerat, auctoramento Proteſtantibus illuſurus, quaſi naſo, cerebro, imò communi ſenſu deſtituerentur.

At jam ſalva Syrigi fides, ſalva probitatis fama, honoriſque illius, quem tot juſtæ ſuſpiciones læſerant, tandem per diligentiam D. Simonii redintegratur, qui idem ipſum aut ſaltem geminum & ſimile opuſculum, in quo mentem ſuam clarè & accuratè de Tranſſubſtantiationis dogmate explicat Gennadius, caſu felici reperit, homiliam nimirum, quam Patriarcha iſte vigiliâ S. Lazari, h. e. die Veneris, quæ τὴν ἁγίαν καὶ μεγάλην ἑβδομάδα præcedit, in palatio coram Imperatore, ſenatu, Urbiſque primoribus habuit. Itane verò? num

ille,

ille, qui teſtem malæ fidei & manifeſtè perjurum in judicio ſubmittit, ut causâ ſuperior evadat, ab omni culpâ eximendus? parum abeſt, quin per leges iiſdem pœnis ſit obnoxius, ac ſi ipſe quoque pejeraſſet. Hic in tueri eſt *eadem argumenta*, *eaſdem ſimilitudines*, *ipſaque eadem verba*, ut ovum ovo ſimilius eſſe non poſſit, quam hæc homilia epiſtolæ à Syrigo citatæ. Supplent. p. 35.

Hanc verò homiliam non in codicibus Regiæ Bibliothecæ, ſed apud D. Burdelotium exſtare dicit Simonius; frigidè quidem & admodum parcè, citra iſtum verborum circuitum, quo in rebus longè inferioris momenti ſolet exſpatiari; titulo homiliæ tantum addito, περὶ τοῦ μυστηριώδους σώματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ χριστοῦ; neque enim an ſingulæ harumce homiliarum nomen Gennadii tanquam veri Authoris prætulerint, per ipſum ſcire nobis licet. Annon debuit ille codicem iſtum una cum cæterarum homiliarum titulis, ſuſpicionis, ne quiſpiam Impoſtor vafritie non inſolitâ nomen Gennadii fortè

tè ementitus fuerit, amovendæ causâ, accuratiùs & ſpecialiùs deſcribere, vel ſaltem homiliam iſtam integram, omiſſis, quæ in hiſtoriâ Criticâ prius edita erant, excerptis, in publicam lucem edidiſſe, ut de eâ melius judicaretur? Hæc ingenua facti conteſtatio plus valuiſſet, quam mille tergiverſationes & ſophiſmata, quæ apud æquos cordatoſque judices pro legitimis probationibus nunquam habebuntur. Alienum eſt à cujuſque probi moribus veritatem aut cavillationibus, ut ut ſubdolis & præ ſe veri ſpeciem ferentibus, offuſcare, aut obſtinatâ audaciâ, renitente conſcientiâ, opprimere; cujus ratio potior apud me eſt (id enim ſanctè profiteri audebo) quam ſtudii partium, quam famæ incertæ, aut victoriæ parum duraturæ. Valeant hæc omnia, modo triumphet dia veritas. Hoc præſidio fretus, iterum dico, me, ut credam aut epiſtolam aut homiliam eſſe genuinum Gennadii fœtum, argumentis à D. Simonio productis induci non poſſe, multis verò ſupra allatis inductum eſſe, ut credam planè

nè fictum & ſuppoſititium eſſe, quæ hic ſummatim repeto, Gennadium poſtquam Conſtantinopolim ex Italiâ rediiſſet, jam Græcæ Eccleſiæ communioni arctiùs adhærentem, ἕνωσιν Florentinam abrenunciaſſe; Epiſtolæ ad Bohemos circa annum Ch. 1541. ſcriptæ, in quâ ἐπιώδυνοι Ῥώμης καινοτομίαι perſtringuntur, ſubſcripſiſſe; de hiſce placitis in Confeſſione fidei cæteriſque genuinis ſcriptis prorſus ſilere; neminem, qui novam hanc doctrinam ſequeretur, habere; ſcripta hæc nuper reperta in Græciâ ignorari; Jeremiam Patriarcham, quo nemo Eccleſias Orientales dogmatâ magis callere dicendus eſt, alioſque, ſuperiori ſeculo, (excepto unico Gabriele, qui Venetiis agens, & Scholaſticorum tricis implicitus, hanc myſterii Euchariſtici explicandi methodum aut adinvenit aut tractavit,) multo magis, ſeculo, quo floruit Gennadius, ab iſtiuſmodi explicationibus abſtinere, quod fieri nec potuit, nec debuit, ſi vel tunc temporis innotuiſſent, tantumque, qualis eſt Gennadius, habuiſſent Patronum; de hiſce

quoque altum fuiſſe ſilentium, tum in Synodo Florentinâ, tum apud Græcos Scriptores iſtius ævi ad unum omnes, quantum adhuc ſcitur, ut hæ καινοτομίαι Romanenſium δόξαι novitatem ſapiant, utpote iſtorum temporum Græcæ Eccleſiæ placitis & fidei neutiquam congruæ, & Græcis pro ſupponendi libidine, (neque enim hæ artes novæ ſunt, ut exemplis ſatis munifeſtum eſt) ſubdolè affictæ. Non inficiabitur D. Simonius, neminem è communione Romanâ magis ad mentem Latinorum apertè & clarè loqui, neminem Tranſſubſtantiationis dogma, adhibitis Scholaſticorum ſubtilitatibus & verſutiis, acriùs tueri. Ipſum, omneſque alios, qui omni partialitate ſepoſitâ rectè judicare aut norunt aut audent, appello, an hæc ſint Græci hominis iſtorum temporum, nedum Gennadii Patriarchæ Conſtantinopolitani, ipſos hæreticos eſſe, qui hanc fictam μεταβάσιων non admiſerint; (quâ verò Græcorum Patrum Synodo iſtud hæreſeos ſtigma inuſtum fuerit, nondum conſtat) totum Chriſtum contineri

tineri in tantillâ extenſione, h. e. unius micæ, ſi à conſecratâ maſsâ abrumpatur; accidentia panis ab illius ſubſtantiâ, quæ evanuit, ſeparatim exiſtere, h. e. in aëre, divinâ potentiâ, quæ ad ὄντως ἀδύνατα & quicquid implicat contradictionem, ἀφιλοσόφως καὶ ἀθεολόγως extenditur, ad hoc commentum laſcivientis ingenii fulciendum, ſuppoſitâ; corpus hoc Chriſti in Euchariſtiâ myſticum, etiam in partes diviſum, manere tamen integrum; harum partium quamlibet eſſe totum & perfectum Chriſti corpus; unum idemque Chriſti corpus eſſe in cœlo & multis ſimul altaribus: myſticum hoc corpus, quod Sacramento exhibetur, eſſe ipſummet Dominum noſtrum Jeſum, Mariæ Virginis filium, qui crucifixus Pag. 191.
eſt, quique nunc eſt in cœlo, αὐτὸν ὁλόκληρον ὑπὸ τοῖς συμβεβηκόσι τῷ ἄρτῳ συγκαλυπτόμενον, *illum omnino eundem eſſe, qui ſub accidentibus panis delitescit*, & in Euchariſtiâ eſſe κατὰ οὐσίαν, ἢ κατὰ χάριν ἢ δύναμιν, *quoad ſubſtantiam*, h. e. ipſum naturale corpus Chriſti, carne & oſſibus

vestitum, animâ rationali præditum, & divinitati inseparabilitèr unitum, *non verò secundum gratiam & efficaciam*; & utriusque sacrificii, tum illius in cruce peracti, tum illius in altari à sacerdote oblati μετουσίωσιν esse ἀποτέλεσμα sive perfectionem & complementum; distinctionem intercedere inter naturale & mysticum
Pag. 232. corpus Christi, quod tamen juxta hunc Authorem est ipsummet naturale corpus Christi, quod ἐν διαφόροις θυσιαστηρίοις τῶν ὀρθοδόξων χριστιανῶν ὑπερθαυμάστως καθ' ἑκάστην παρουσιάζεται: quæ est phrasis Latina, *in diversis orthodoxorum Christianorum altaribus plusquam mirabilitèr*, h. e. ultra omnem miraculorum vim, *præsens est*; hoc, quod quotidie fit, esse omnium miraculorum maximum, imo mysterio Incarnationis, quod Christiani cultûs præcipuum fundamentum & basis est, longè majus; utpote in hoc utraque natura manet inconfusa, alterâ non mutatâ in
Pag. 240. alteram, in isto verò τὸ κτίσμα πρὸς τὸν κτιστὴν μεταποιεῖται, καὶ ἡ προυφεστῶσα τοῦ ἄρτου οὐσία σῶμα χριστοῦ γίγνεται

crea-

creatura in creatorem convertitur, & quæ prius erat ſubſtantia panis, fit corpus Chriſti; denique, τὴν ἔξωθεν διάθεσιν τῶ ἄρτε μένειν πάλιν αὐτὴν, συγκαλύπτουσαν τὴν θείαν *externam panis diſpoſitionem eandem rurſus manere, ſubſtantiam*, h. e. corporis Chriſti, *cooperientem*. Reſpondeat jam D. Simonius, ſi verum profiteri velit, an Græci tempore Gennadii de hoc myſterio ita per omnia ſenſerint. Ne ipſi quidem Græci hodie viventes hæc Scholaſticorum arcana norunt. Non moror nuperam Synodum Hieroſolymitanam aut Confeſſionem iſtam, typis Batavicis impenſis D. Panagiotæ primarii apud magnum Vizirium Dragomani ſive Interpretis, quo tempore Candia à Turcis erat obſeſſa, excuſam, cujus copia mihi facta fuit Conſtantinopoli, utramque ad mentem Latinorum elaboratam. Multos enim, ex hodiernis Græcis, tum Epiſcopos tum Prebyteros, quibuſcum familiaritatem inii, vel in Græciâ vel alibi locorum, inter diſputandum expertus ſum, haſce Scholaſticorum argutias neſci-

visse, & tam absurdi dogmatis consequentias, quibus urgebantur, aversari, quod ferè ἀποδεικτικῶς ostendit, dogma hoc μετουσιώσεως, licet in illo confessionis libello & nuperis Synodis, à tempore Cyrilli Lucarii habitis, verbis statui videatur, artibus & versutiis Latinorum & Λατινιζόντων, qui in Collegio instituendæ juventutis Græcæ causâ Romæ fundato educati in patriam revertuntur Romanam fidem propagaturi, nondum apud omnes maturuisse. Unicum in præsenti citabo testem, reverendissimum Virum & rerum Græcæ Ecclesiæ notitiâ instructissimum, D. Archiepiscopum Tiberiadis, urbis in confiniis Macedoniæ sitæ, sub jurisdictione Archiepiscopi Justinianæ primæ, qui Oxonii à me rogatus, ut de hac re sententiam suam liberè & fideliter proferre vellet, sequente die, (neq; enim cogitata sua ex tempore fudit) chartam mihi obtulit hæc ipsâ verba continentem: Τὸ σῶμα τοῦ κυρίου καὶ τὸ αἷμα αὐτοῦ ἱερουργούμενον παρὰ τῶν ἱερέως ἢ ἀρχιερέως εἰς μετουσίωσιν εἰς ὑσίαν σώματος καὶ αἵματος, ἀλλ' ἡ ἀυτὴ ἡ ὑσία τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου πάλιν ἔστι.

Ὅμως

Ὅμως τὸ παναγιον πνεῦμα ἁγιάζει αὐτά. ἡ μὲν ἔξω ὕλη ἥτοι ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος οὐ μεταβάλλεται εἰς ἄλλην οὐσίαν, ἡ δὲ ἔσω χάρις ποιεῖ τὰ αὐτὰ ὡς σῶμα τοῦ κυρίου καὶ αἷμα αὐτοῦ: ὡς εἶπεν ὁ κύριος, ἀληθῶς γὰρ ἡ σάρξ μου ἔστι βρῶσις καὶ τὸ αἷμά μου ἔστι πόσις: καὶ πάλιν ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἐν ἐμοὶ μένει, κἀγὼ ἐν αὐτῷ. *corpus Domini & ſanguis ejus à Sacerdote aut Epiſcopo conſecrata non tranſſubſtantiantur in ſubſtantiam corporis & ſanguinis* [*ipſius*]; *ſed rurſus eadem eſt ſubſtantia panis & vini; ſanctiſſimus Spiritus ea ſimul ſanctificat. Externa enim materia, ſive panis & vinum, non convertitur in aliam ſubſtantiam: interna vero gratia efficit ea tanquam corpus Domini & ſanguinem illius. Uti dixit Dominus, verè enim caro mea eſt cibus, & ſanguis meus potus eſt: & iterum, qui comedit carnem meam & bibit ſanguinem meum, manet in me, & ego in illo.* Non oppono unius aut plurium teſtimonia authoritati aut confeſſionis ſupra dictæ aut Synodi: ſed hoc ſolo fine à me factum eſt, ut oſten-

dam meros Græcos, quos Romanæ ſuperſtitionis aut educationis lues nondum afflavit, de ſententiâ iſtâ nuper quo jure qua injuriâ apud ipſos ſtabilitâ, parum ſolicitos, μελετίωσιν planè rejicere.

Quibus Authoribus ad hoc audendum inſtigantibus Meletius Syrigus calamum ſtrinxerit in Cyrillum Lucarium, an pecuniis conductus, an ſponte ex acri zelo ſtimulatus, cum incertum ſit hactenus, neque rem, licet juſtis rationibus ſuſpectam, conjectando aſſequi liceat, ex excerptis tamen editis ſatìs patebat illum eſſe purum putum Λατινόφρονα, quod jam ex analyſi iſtius famoſi libelli, quem pro ingenti, quo erga illum fertur,
Pag. 73. affectu, *præſtans & egregium opus* nuncupat Epitomator, habemus evictiſſimum. Parum intereſt, an collegii Romani alumnus fuerit necne, an in ſchola Jeſuitarum Galatæ educatus, (quod de Cyrillo Berrhœenſi, qui, poſt Cyrillum Lucarium vitâ exutum, patriarchatum occupaverat, conſtat) an alibi, cum totus in illorum partes tranſiiſſet: licet argumentum

mentum iſtud, quo utitur D. Simonius, ad probandum, Syrigum Romæ non fuiſſe educatum, eo quod in articulo de proceſſione Spiritûs ſancti ab Eccleſiâ Latinâ diſſideat, ubi tamen cautè admodum agit, prorſus imbelle eſt & ἀσυλλόγιστον. Multi enim ex Italiâ in patriam reverſi ſe ut gente ſic religione Græcos nuncupant, & tamen non ſunt: diſſimulatâ illâ, quam ex ſedulis Magiſtrorum inſtitutionibus exhauſerant, fidei & doctrinæ profeſſione: niſi quis velit, illos jamjam ad Eccleſiaſticas dignitates promovendos, fieri Apoſtatas, & Romanæ Eccleſiæ placita, in quibus à Græcâ diſſidet, ſolenni verborum formulâ ejurare, quod adhuc incognitum eſt; aut ſaltem Græcos adeò deſides aut ſtupidos eſſe, ut Epiſcopali munere fungi, aliiſque ſpiritualibus præfecturis donari permittant, quos in articulis gravioris momenti aliam fidem profiteri norint. Romanenſes autem ſatis ſuperque experti ſunt Græcorum obſtinationem nulla vi, nullis argumentis expugnabilem in quibuſdam dogmatibus tuendis, Pag. 76.

tuendis, puta Spiritum ſanctum à ſolo Patre procedere; Euchariſtiam ſub utraque ſpecie adminiſtrandam eſſe, eamque quoque puerulis & infantibus; ignem purgatorium non dari,&c.quorum abſque explicitâ fide in communione Romanæ Eccleſiæ hodie non vivitur. Contraria dogmata, quæ Romana docet Eccleſia, pro falſis aut ſaltem pro indifferentibus habitum iri à Græcis hiſce, ſi fidem Græcam verè & ſincerè recipiant, manifeſtum eſt: ſi vero eandem ſubdole tantùm, reconciliandæ Græciæ prætextu, recipiant, aliud linguâ, aliud corde habentes, egregios agere hypocritas, quod an cum probitatis haud fucatæ officiis congruat, judicet ipſe D. Simonius. Utrum è duobus ſit magis eligendum penes ipſius arbitrium eſto, niſi potius hoc tertium ſtatuat, Orientalis Eccleſiæ Patriarchas & Metropolitas, veteri doctrinâ & fide relictis, eſſe ὁμοφρονας, & Collegii Romani alumnos, tanquam fratres, conſecraneos, & ſymmyſtas abſque omni ſcrupulo amplecti: quaſi Unione à moderatioris ingenii

ingenii parariis clam redintegratâ, quam tot millibus aureorum frustra ante duo secula emerit Eugenius, solum inter Ecclesiam Græcam & Romanam in ritibus ἀδιαφόροις & externa Ecclesiastici regiminis administratione discrimen intercederet. Quot verò è Metropolitis & Episcopis è Romano seminario prodierint, ex idoneo authore, Leone Allatio, disci potest, quorum artibus, quod hodierni Græci à suis majoribus tantopere degeneraverint, potissimum adscribi, repetitis cogitationibus magis magisque confirmatus iterum sentio.

Sed ad Meletium Syrigum redeo, in cujus laudibus efferendis planè immodicus est & penè puerilitèr exultat D. Simonius, non sine convitiis in me jactis, quod, suggerentibus tetricis duræque indolis Calvinianis, hunc egregium virum Græculum Tenebrionem appellaverim, quasi esset inter maximos Græcæ Ecclesiæ Heroas recensendus. En quali titulorum apparatu & pompâ incedit hic novus Græciæ magister! utpote διδάσκαλος τῆς μεγάλης *Pag.* 70.

γάλης ἐκκλησίας, *Eccleſiæ Patriarchalis Doctor*, & *Protoſyncellus*; habituſque dignus, qui mitteretur à Patriarchâ & Synodo Conſtantinopolitanâ in Moldaviam, una cum Porphyrio exNiceno ad fidei, quam Petrus Mogilas Archiepiſcopus Kioviensis aliique in uſum incolarum nigræ Ruſſiæ, qui ſunt Græci ritus, compoſuerat, expoſitionem examinandam, & quem denique κήρυκα, καὶ διερμηνέα καὶ ςαθμὸν τῶν ὀρθῶν τῆς πίςεως δογμάτων *Prædicatorem & Interpretem & ſanorum fidei dogmatum in iiſdem ab ipsâ pueritiâ innutritum* miris elogiis deprædicat Nectarius Hieroſolymitanus. At genium Græcæ gentis parum ſibi cognitum habent, qui non aliunde quam ex titulis, quibus ſuperbiunt δοκησίσοφοι, aliorumque commendationibus cujuſquam merita æſtimare & metiri velint. Iniquiſſimum & impium foret, Græcis inopiam ne dicam illuviem, quâ premuntur & laborant, exprobrare: at dum in hoc maximè deplorando rerum ſtatu ſpiritus altos ambitiosè alunt, & ſeſe iiſdem magnificis appellationibus, uti olim

olim florente Imperio, efferunt, hoc non magni animi, ſed affectati faſtûs & indebitæ φιλοτιμίας judicium eſt. Indignarentur ſanè non pauci ex Eccleſiæ Patriarchalis officialibus, quos Ἄρχοντας nuncupant, non minimam ſibi ac dignitatibus ſuis injuriam illatam fuiſſe quæſturi, ſi inſigne illud τῆς μεγάλης additamentum iis non præfigeretur. Nolo Meletii Syrigi debitis laudibus quicquam præripere, neque negaverim illum paulo altius ſapere, quam ſolent monachi, qui nunquam è Græcia pedem extulerint, neque domi, in cellulis incluſi, ſtudiis politioris literaturæ, ſcholaſticiſque diſciplinis vacaverint. Eſto Meletius Eccleſiæ magnæ διδασκαλίας, h. e. ut in ſecundæ Synodi Conſtantinopolitanæ contra Cyrillum Lucarium indictæ ſubſcriptionibus ſe modeſtius nuncupat, κήρυξ τῆς Εὐαγγελίης ſive Evangelii præco, à concionandi facultate, ad quam pauci aſpirant, ſubſidiis literarum deſtituti, & in hoc munere neutiquam occupati, laudem apud ſuos miſeri & inculti oratoris concitatiore lingua & geſtu,

geſtu, tempore quadrageſimali, feſtiſque quibuſdam ſolennioribus, ex ambone perorantis, in admirationem rapi ſolitos, inde meritus. At mirum videbitur, hunc acerrimum Græci dogmatis ὑπασπιστὴν & pugilem, hunc celeberrimum magnæ Eccleſiæ Doctorem, hunc in exarchatu Moldavienſi Patriarchæ vices agentem, poſt tot in Græcam Eccleſiam effuſa beneficia, & poſt tantos exantlatos labores, facundiæ, eruditionis, zeli, & meritorum mercedem non reportaſſe: vel ſáltem an propter rabidi oris dicteria, an propter atrociſſimas criminationes, & convitia, quæ in Cyrillum, æternâ infamiâ, ſi hi conatus, hæ artes apud poſteritatem credulam maleque informatam valent, inurendum, hic feroculus inſulſuſque monachus congeſſerat, ad altiorem in Eccleſiâ gradum evectus fuerit nec ne, ignorare nos ſinit D. Simonius. An verò famæ de illo ſparſæ, & elogiis, quibus cumulatur, opuſculum illud, quod molitus eſt, reſpondeat, paucis videamus.

Cum

Cum ex hiſtoriâ Syropuli, auriti & oculati teſtis, auſpicatò in lucem productâ, fraudulentæ artes, quibus ad ſimulatam iſtam unionem Florentiæ ineundam Græci inducti eſſent, paterent, quam malè urerentur Romanenſes, ſatis teſtantur vociferationes iſtæ, quæ ubivis in Authorem, tanquam hæreticum, ſchiſmaticum, barbarum, & mendaciſſimum calumniatorem & ſycophantam perſonuêre. Miſellus iſte Græcus, licet vitâ & famâ integerrimus, qui res, quibus interfuit, illic geſtas, quæ Eccleſiæ Romanæ honori neutiquam cedunt, liberiori & fideliori calamo, quam quod hactenus à ſcriptoribus aut venalibus aut partiariis factum fuerit, enarrare auſus fuerit, mille convitiis erat proſcindendus. Ex iſto infelici libro odium iſtud implacabile enaſcitur, quo in æternum eſt proſequendus. Allatius non potuit ſibi temperare, quin, bile in rabiem commotâ, exclamaverit, *utinam flammis univerſum concremaſſent!* A nobis verò tantum abeſt, ut de ſervato Meletii Syrigi libro queramur, ut potius dole-

Exercit. in D. Creightoni apparatum, &c. ad hiſtoriam concilii Florentini, pag. 22.

doleamus, illum ab iis, quorum interest, ut edatur, hactenus suppressum esse. Utinam integer & omnibus suis partibus absolutus exstitisset! Interim, donec mundus hoc Meletii Syrigi fœtu beabitur, hac epitome contenti erimus.

Ex quâ abunde liquet totum è Latinorum, præsertim Bellarmini, libris esse exscriptum. Non contentus enim hic monachus Cretensis de solo Cyrillo triumphum agere, quasi tantillæ victoriæ hunc strenuum pugilem puduisset, sub præsidio Bellarmini, cæteras hæreses, ut vocat, Calvinianas, ne earundem labe inficeretur Oriens, oppugnare suscipit. Sed quam telis istis ex illo armamentario in hac velitatione infelicitèr & ineptè utatur, cuivis ex hoc specimine dignoscere licebit.

Imperitè admodum & prorsus in-
Pag. 76. justè Meletius reprehendit Cyrillum, quasi hâc assertâ propositione, Spiritum sanctum ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ υἱοῦ προερχόμενον *à Patre per Filium procedere*, à fide & doctrinâ Orientalium descivisset. Nescivit, ut videtur, monachus

nachus iſte, quam acritèr de duabus hiſce præpoſitionibus ἐκ & διὰ in Synodo Florentinâ contenderetur, fateri nimirum Iſidorum Ruſſenſem & Beſſarionem Nicænum, qui in negotio unionis procurando ad captandam Latinorum gratiam erant maximè intenti, ὅτι οἱ Ἀνατολικοὶ λέγουσι τὸ διὰ τοῦ υἱοῦ, οἱ δὲ Δυτικοὶ λέγουσι τὸ ἐκ τοῦ υἱοῦ καὶ συμφωνοῦσι *patres Orientales dicere per Filium, Occidentales verò ex Filio & in hoc omnes ſimul conſentire.* Nec illam phraſin à Patribus Græcis uſurpatam fuiſſe negavit Marcus Epheſius, ſolâ hâc exceptione interpoſitâ, ἄλλην ἔννοιαν δηλοῖ ἡ ἐκ, ἄλλην δὲ διά, *non eundem ſenſum iiſdem phraſibus contineri.* *Syropul. hiſt. Conc. Flor. ſect. 8. cap. 14. pag. 237.*

Generale igitur illud effatum ſibi in hac compendiariâ confeſſione ſufficere ratus Cyrillus, ſeſe hac lite, quæ Orientem cum Occidente per multa ſecula commiſcuerat, immiſcere noluit, an πρόοδος ſive proceſſio illa S. Spiritus à Filio, vel à Patre per Filium, ſit æterna, an temporaria, (per quam Spiritûs S. miſſionem in Apoſtolos, cæteroſque fi-

deles factam in tempore intelligunt
In epiſtola ad Joannem Uytenbogardium. p. 83. Græci) licet alibi cauſam Græcorum contra Latinos ſtrenuè tueatur. Pari væcordiâ calumniatur Cyrillum, quaſi Eccleſiaſticæ Hierarchiæ everſorem, ac ſi nullam inter ſacri ordinis miniſtros differentiam poſuiſſet, cujus criminationis ne quidem umbra apparet. Quo prætextu ille Anarchiam in Eccleſiam Chriſti invehere dicendus eſt,
Confeſſ. cap. 12. qui *Spiritu Sancto ſanctificari & doceri Eccleſiam* ſe credere profitetur, *mediantibus tamen miniſtrorum Eccleſiæ operis?* quorum diverſi ordines, facultates, gradus, & miniſteria, ab ipſis Eccleſiæ initiis ſtabilita, hic ſupponuntur. Num hoc eſt Cleri paritatem & ἰσοτιμίαν ſtatuere, aut diſcrimen inter Clerum & Laicum, aut inter Doctorem inſtruentem & populum inſtruendum
Cap. 4. tollere? Cum *Deum eſſe creatorem inviſibilium & viſibilium* dixiſſet Cyrillus, *inviſibilia vocando Angelos, viſibilia cœlum & quæ ſub cœlo*, ab
Pag. 79. Eccleſiâ Orientali deviaſſe ab hoc ineptulo cenſore accuſatur, eo quod ſub nomine inviſibilium animas rationales

onales non exertè recenſuiſſet, quaſi homo, licet ex animâ & corpore conſtans, (de ejus enim ſtatu & conditione in terrâ loquitur) non eſſet *inter viſibilia, quæ ſub cælo.* Pudet in hiſce ridiculis cavillationibus refellendis diutius immorari. Bene eſt, quod D. Simonius morboſam de divinâ Providentiâ, ac ſi mala ei non ſubeſſent, ſententiam molliori interpretatione ſanaverit. Sed quæro, an non in aliis Eccleſiæ Orientalis dogmata aut parum intellexerit Meletius, aut miſerrimum in modum detorſerit? dum pari conſenſu ac fide *traditiones Eccleſiaſticas ac S. Scripturas amplectendas eſſe, tantamque Doctoribus ac iiſdem Scripturis authoritatem dari ſtatuit.* Num hæc eſt fides Orientalium? num ejuſdem ſententiam de myſterio unguenti chriſmatis rectè exprimit Syrigus? In hiſce verſipellis homo vatrè agit, ut traditionum non ſcriptarum ἀυθεντίαν, & Eccleſiæ præſentis per Doctores loquentis infallibilitatem, (Romæ Palladium, quo erepto tota ruit fatiſcitque) & confirmationem non eſſe

Pag. 79, 80

Pag. 77.

Pag. 84.

Pag. 86.

appendicem baptiſmi neque mox infantibus juxta Græcos adminiſtrandam in mentes Lectorum ſenſim inſtillet. In cæteris totus Λατινίζει Meletius: licet forte illum in omnibus vix tue-
Pag. 87. bitur D. Simonius. Dicit enim *Chriſtum in ſacris myſteriis præſentem comedi* σωματικῶς, *& μὴ διὰ πίστεως νοητῶς corporalitèr, & non per fidem intellectualitèr.* Loquitur ſanè ad mentem Papæ Nicolai ſecundi in formulâ, quam Berengario hæreſin, ut vocant, ejuraturo præſcripſit recitandam, cujus craſſæ locutiones, ex arbitratu Theologorum delicatioris ingenii emunctioriſque naris, æquè gravem hæreſin ſapiunt, & quarum ipſum Gregorium ſeptimum puduiſſe conſtat, dum hâc rejectâ, altera formula verborum Berengario palinodiam iterum canenti proponitur, ubi nihil de orali comeſtione corporis Chriſti, quam hic ſtatuit Syrigus, nondum perfectus myſta, & accuratiori harum ſubtilitatum cognitione à ſuis præceptoribus imbuendus.

Quic-

Quicquid verò habet Syrigus de hæreſi Berengarii è Bellarmino mutuatur, neque enim ultra ſapit. Nugatur autem, dum vocem iſtam μεταποίωσις, quamprimum hæreſis illa Berengariana in provincias Græciæ perveniſſet, inventam fuiſſe dicit: quod eſt planè petitio principii, ac ſi ante vel circa Berengarii tempora Græca Eccleſia in hoc dogmate Tranſſubſtantiationis, quod tum in Occidente planè informe erat, nec niſi poſt multa ſecula formam iſtam, quam jam induit, accepit, conveniſſet, & mox poſt introductam iſtam in Orientem hæreſin, vocem iſtam, quæ veritatem rei clariùs explicet, excogitatam eſſe, quod ferè poſt quingentos annos factum erat. Præ æſtu diſputandi inaccuratè ſcripſit inſulſus nunachus, cujus ἀκριβολογίαν fruſtra aut excuſat aut tuetur D. Simonius, cum non ex illius interpretatione ſed è verborum contexturâ & ſenſu mens Authoris ſit explicanda.

Deinde citat Syrigus Lutherum, Bucerum, & potiſſimum Calvinum, cujus argumentis aliquomodo reſpon-

det ex Bellarmino, quod non diffitetur D. Simonius: in cujus libris ipſi forte ſufficiebat legiſſe Calvinum. Calvinus, iſte *hæreſiarcha* Calvinus, nomen hodiernis Græcis exoſum & execrabile! (videntur enim cum Luthero in gratiam rediiſſe, cum de Calvino loquuntur) Unde verò cauſa iſtius odii, niſi ex ignorantiâ? Hunc enim non odiſſent, ſi intellexiſſent: qui ſi Græcè legeretur, non dubito, quin calumnia & odio in honorem amoremque converſis, de hoc magno Theologo, quem tantoperè infamant, melius ſentirent, & adjutrice divini Spiritûs gratiâ, tanti Viri zelum, prudentiam, pietatem, & diligentiam, non ad ipſius inſtitutionum, (neque enim à ſuis habetur ἀναμάρτητος) ſed ſacrarum Scripturarum & primævæ Antiquitatis normam, in reformandâ Eccleſiâ Græcâ, cujus pulchram faciem graves in ſacro cultu corruptelæ, & male ſana dogmata, quaſi totidem nævi, non parum devenuſtant, certatim æmularentur. Pauci è Græcis Latinè ſciunt, pauciores verò Scholaſticorum Theolo-

Theologiam, niſi qui Italiam ſtudiorum causâ petant; & quod ad controverſias inter Reformatos & Pontificios ſpectat, ex Latinorum, eorumve, qui ſe Latinis addixerint, injuſtis adque fallendum compoſitis narrationibus toti pendent.

De Gabriele Philadelphienſi, quem laudibus ad cœlum uſque extollit D. Simonius, ac ſi inde decidiſſet, Græciam Scholaſticæ Theologiæ ſubtilitatibus illuminaturus, non eſt, quod multis agam. Gaudeat ille ſagacitate ſuâ, qui librum iſtum de ſeptem myſteriis, tot tricis futilibus affaniiſque refertum, adhuc in deliciis habet: miror tamen iſtas dapes crudas maleque digeſtas ipſius palato placere poſſe. Judicet vero quiſquis bonâm mentem poſſidet præjudiciis liberam de iſthoc libro. Num tot ſacræ Scripturæ loca miſerum in modum detorta, ac ſenſibus alienis indoctè accommodata, earundemque infrunitas alluſiones, quas pro argumentis habet Gabriel, ſine irâ & indignatione lecturus eſt? Adeò abſurdæ ſunt, ut eas penè pigeat referre. En paucarum è

quamplurimis specimen! Quid puerilius vel fingi potest, quam quod illic habetur de ratione septenarii numeri mysteriorum? sicubi in S. Scripturâ septenarius iste numerus occurrat, ecce horum mysteriorum typus! Ut obvia de septem Spiritûs sancti donis, septem columnis, quibus ædem suam superstruxit sapientia, septem lucernis, septem stellis, septem lavationibus Naami Syri, &c. præteream, mirus est in tubis, quas dum inflant Sacerdotes, collabuntur muri Jerichuntis, ad hæc mysteria applicandis! οὕτω τὰ μυστήρια ἐνεργούμενα τὰ ἑπτὰ τοῦ θηρὸς κήρατα τὰ ὑπὸ τοῦ ἐπιστηθείου Ιωάννου ὁραθέντα, τουτέστι τὰς ἑπτὰ δυνάμεις τῶν θανασίμων τῆς ἁμαρτίας παθῶν καταθραύουσι, *ita hæc mysteria, dum operantur, septem bestiæ cornua à Joanne*, cum decem ille meminit, *in cujus sinu recubuit Christus, visa*, h. e. *septem mortalium peccati affectuum potentias*, i. e. septem mortalia peccata, quod est Latinorum commentum, *confringunt*. Illumne excusatione dignum existimabimus, quod scripturas ex memoriâ repe-

repetierit, qui iiſdem adeò miſerè abutitur? Pari venuſtate ingenii ſeptem hæc myſteria ſeptem virtutibus, h. e. tribus Theologicis, quatuorque γενικαῖς generalibus ſive moralibus applicantur. Optimè enim, juxta illum, pœnitentia ſpei reſpondet, quia *ſpes non confundit: Chriſtus enim eſt ſpes gloriæ:* nec minus aptè Sacerdotium attribuitur prudentiæ, quia *oportet Sacerdotes eſſe prudentes ut ſerpentes, innocentes ut columbæ.* Myſticam illam in frontibus ſervorum Dei, cujus meminit divinus Apocalyptes, obſignationem de confirmationis ritu intelligi vult Gabriel; ut mille alias abſurditates taceam: ubilibet enim myſteria venatur, vero ſcripturarum ſenſu poſthabito: & totus iſte liber exſcribendus eſſet, ſi in illum pro merito animadvertere in animo habuiſſem. Præterea, frequens eſt in phraſibus Scholaſticorum adhibendis, quas affectato arripit, illorumque methodum in tractandis per quatuor cauſarum genera argumentis ſequitur. An olim in ſcholis Græcorum innotuerint diſputationes de

de ſacramentis imprimentibus χαρακτῆρα ἀνεξάλειπτον, ſive *characterem indelebilem*, ſive περὶ ὕλης τῆς πόρρω, καὶ τῆς ἐγγὺς, de *materiâ remotâ & proximâ ſacramentorum?* Hiſce ſimilibuſque argutiis, dum Durandum, Bellarminum, alioſque legerat, captus erat & deluſus, quaſi vix aliter aut ſaltem non concinnius, quam juxta illorum ſophiſticam, myſterium Euchariſtiæ explicari potuerit, eodem modo μεΐωσιν ſtatuit. Vox iſta nova placuit, & iſte modus explicandi, vocis tam bellè effictæ cauſâ, quam ſubinde adhibet, ut ſibi ſaltem, ſi non aliis, quibus frequens commercium habuit Venetiis, non modicam gratiam faciat. Eſto hic Græcus μεΐωσεώς aſſertor, qui primus haſce explicationes in Græcam Theologiam cooptavit, bonus & pius; nullâ ipſi de moribus depravatis aut de læſa pietate impactâ dicâ, judicii ſoliditatem in illo, qui ſola rerum ſuperficie inſpectâ, in profundiora præ limis debilibuſque oculis non penetraverit, deſideravi: an rectè ſeçuſve penes eruditum Lectorem judi-

cium

cium eſto : cujus eſt etiam ſtatuere, annon eadem facultas in ejus quoque Advocato ſit deſiderandu, qui, ut ut volubili linguâ & ingenio deſultorio, ſcholaſticam diſputandi methodum valdè mediocriter, maximè verò calumniandi artem Sacerdote perquam indignam callet.

Sed quo non rapit virum ingenio ſuo abutentem nimius diſputandi ardor ? Audio, penè attonitus, id bis terve repetitum, *hoſce Græcos*, ut appellat, *ſchiſmaticos, in ſolis ritibus cæremoniiſque aut in Eccleſiaſtico regimine & diſciplinâ, eos etiam ex ipſis, qui nullam cum Româ concordiam inierunt, & qui ſunt doctrinâ cæteris inſigniores, in omnibus articulis doctrinæ, exceptis perpaucis, cum Romanenſibus convenire.* Certè omnem pudorem exuiſſet D. Simonius, niſi ſaltem paucos excepiſſet. Hoccine ſibi perſuaſum habet *à Græcis vagabundis*, qui Galliam pariter ac Angliam ſolent inviſere, quibus me nimium faciles aures adhibuiſſe pro more ſuo fingit ? Caveat ipſe à tam pudendâ credulitate, & credo illum in poſterum

Pag. 105.

ſterum majori cum cautelâ acturum, quam ut litem hanc illorum arbitrio decidi permittat. Quid ergo? Appellat ad Græcorum, etiam illorum, qui acri zelo contra Romanam Eccleſiam inardeſcunt, libros tum ſcriptos tum manuſcriptos: Appellamus & nos quoque. Sed de quorum ſeculorum Authoribus & libris vult intelligi D. Simonius? Non ſanè de iis, qui ante Synodum Florentinam vixêre: hi enim hæreſin, innovationes, graves in fide errores, imò turpem ab ipsâ fide defectionem Latinis imputarunt. De quibus ergo? fortè de ſuppoſititio Gennadio, aut Gabriele Philadelphienſi. Num verò in omnibus ferè articulis cum Romanenſibus conveniebat Jeremias Patriarcha? num cæteri ante Cyrillum Lucarim? Diſſenſus verò ſuperiori ſeculo erat adeò manifeſtus, ut Caucus Archiepiſcopus Corcyrenſis hiſtoriam de recentiorum Græcorum hæreſibus Gregorio decimo tertio applaudente Româ inſcripſerit. Jam verò, ſi Allatio, Arcudio, & D. Simonio credimus, Græci à Cauco, cæteriſque

riſque immoderati zeli viris, peſſimè erant habiti, utpote ab iſtiuſmodi criminationibus immunes & planè Orthodoxi. Suos, ſi quos habet ante nuperas in Græcia motas lites, teſtes producat D. Simonius. Si de hodiernis Græcis loquitur, magno conatu nihil agit: neque enim hoc inter nos controvertitur: hoc eſt, quod querimur, fidem Græcorum artibus & fraudibus Romanenſium mutatam eſſe. Sed de hoc ficto & in ſpeciem conſenſu Græcorum cum Latinis, quem tantoperè crepat D. Simonius, conſulat curioſus lector Virum clariſſimum & eruditiſſimum, D. Fridericum Spanhemium, qui in elencho Hiſtorico-Theologico controverſiarum cum Græcis hoc argumentum fusè tractaverit.

At *Gabriel, licet Cyrillo eruditione & ingenio inferior, integritate morum & vitæ, quod longè excellentius eſt, illum ſuperabat.* Jam non ſolum ob innovationes in Græciam introductas, ſed ob flagitioſos mores Cyrillus ex ſententiâ hujus novi Inquiſitoris, poſt cineres tam longo tempore Pag. 113.

tempore conditos, exagitatur, debitâ infamiâ ſcelus morte cruentâ non ſatis expiatum de novo luiturus. Quis verò ex ipſius adverſariis infenſiſſimis illum, dum viveret, hoc nomine inſectatus eſt unquam? homines ſane efferi ingenii, quos acuebant odium & vindicta ad omnem occaſionem illum dejiciendi ſedulò captandam, ipſius honori non pepercerint, ſi vel minimus prætextus famæ pariter ac vitæ aut clam inſidiandi, aut palam oppugnandi ſuppetiiſſet. Non defuerant Scurræ, qui illum in ſcenam ſibilis & maledictis proſcindendum produxiſſent. At vita inculpata ſanctiſſimique mores illum ab ejuſmodi criminationibus tutum tectumque ſatis præſtitêre. Nemo autem tempore, quo vixit, hac de re leviculam movebat ſuſpicionem, quam nullâ conjectatiunculâ, quæ veri ſpeciem præ ſe ferat, ſed ſolâ manifeſtâ calumniâ præſtruere ſatagit D. Simonius, *illum nimirum vix inculpatis moribus fuiſſe præditum, qui nullam religionem, niſi quam commodum dictaſſet, amplecti viſus eſt.* Quis tam ferreo

ferreo animo & ab humanis affectibus alieno eſt, qui pro inſito innocentium aut vitam aut famam contra barbarorum inſultus defendendi amore, huic intentatæ actioni tanquam iniquiſſimæ & contra naturalis juſtitiæ leges peccanti non intercedat? Illumne religionem utilitate metiri & æſtimare, qui quietem, dignitatem, vitam, & ſi quid vitâ charius eſt, paci rectæ & integræ mentis poſthabuit? O miſerandam Cyrilli cæcitatem & pervicaciam, qui in amplectendâ religione ſoli commodo inhians, omne genus incommodi perpeti maluit, quam religionem & conſcientiam perdere! vel potius, O obſtupeſcendam Cyrilli fortitudinem & conſtantiam, quem nulla pericula, non pauperies, non amiſſæ dignitatis infamia, non carcer, non ab hoſtibus intentatæ minæ, ne ipſa quidem mors, à ſancto tuendæ veritatis & reformandæ Græciæ propoſito deterrere potuerunt!

Hoc, hoc erat Cyrilli piaculum, quod acri aſſerendæ veritatis Evangelicæ

gelicæ zelo accenſus, confeſſionem fidei, quæ πυξίας δόξας Romanenſium ex diametro repugnet, in publicam lucem auſus ſit emittere. In cæteris dogmatibus Theologicis, quæ ſunt extra eſſentiam fidei Chriſtianæ, & de quibus inter Romanenſes utrinque non ſine ſummo animorum ardore diſputatur, & in æternum diſputabitur, licuiſſet ipſi, ſalvo honore, in hanc aut illam partem, pro variis argumentorum momentis, inclinare. Parum referret, utrum Calvinum aut Janſſenium habuiſſet magiſtrum, modò in articulis, quæ Romanam conſtituunt fidem, non diſſenſiſſet. Hinc fatale illud odium; hinc illa convitiorum congeries, quibus erat obruendus Cyrillus, tanquam mortalium peſſimus, infamis hæreticus, & veritatis Catholicæ hoſtis & oſor, qui omni reverentiâ Numinis ſuſq; deq; habitâ ex ſolo commodo religionem æſtimavit; denique, quod magis placet D. Simonio, egregius Impoſtor. In ipsâ libelli Epigraphe, in Bibliopolæ gratiam effictâ, ut reddat vendibiliorem, præmonet ſe Cyrillum

Lucarim

Lucarium, à Smithio martyrii laureâ inſignitum, Impoſtorem demonſtraſſe. Agedum ergo, quo jure pientiſſimum hunc Patriarcham fraudis & falſitatis poſtulaverit, videamus, ne, quod facere ſolent malæ cauſæ Advocati, audaces injuſtæque exprobrationes legitimarum probationum vices ſuppleant. Summa vero hujus diræ accuſationis hoc unico argumento continetur, quod ſupponendo falſas adulterinaſque merces, h. e. aliena dogmata, è libris Calvini eruta, ſub Eccleſiæ Orientalis nomine & auctoramento orbi in iſta brevi confeſſione venditaverit. Dicit enim Cyrillum, non contentum in Latinâ verſione Genevenſi hunc titulum præfigere vel præfigi permittere, *Confeſſio fidei Reverendiſſimi Domini Cyrilli Patriarchæ Conſtantinopolitani, ſcripta Conſtantinopoli, anno* 1629. hoc proœmio librum peſſimâ fide ordiri, *Cyrillus Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſciſcitantibus intelligere de religione Eccleſiæ Orientalis, id eſt, Græcæ, quid credamus viz. quidque ſentiamus de articulis orthodoxæ fidei,*

nomine omnium Chriſtianorum communiter exponit brevem iſtam confeſſionem, ut ſit in teſtimonium coram Deo & totâ Eccleſiâ ſine ſimulatione, & bonâ conſcientiâ.

Conſtat Græcarum rerum ſtudioſis, generalem Synodum in Oriente de condendis fidei articulis à longo tempore non fuiſſe indictam: fortaſſe non ex quo tres reliqui Patriarchæ Hieroſolymis convenerunt A. C. 1443, nondum penitûs exciſo Græcorum imperio, fidem & traditiones Eccleſiæ Orientalis contra νεωτερισμὸς Synodi Florentinæ, quam μιαρὰν, ſceleſtam & execrandam appellant, vindicaturi, ſubjectis Anathemati, (ne excepto quidem Metrophane, qui partes Latinorum ſecutus, thronum Conſtantinopolitanum occupaverat) quotquot Latinorum, quos appellant in literis Synodalibus hæreticos, dogmata præſentes ſubſcriptionibus, vel poſt reditum in Græciam conſentiendo & amplectendo approbaſſent. Neque enim quilibet conventus Patriarchæ, unius aut alterius, & Epiſcoporum, qui de commodis

V. apud Allat. de perp. conſenſ. lib. 3. cap. 4. pag. 939.

modis ſuarum Eccleſiarum, quibus Baſſæ cæterique Raptores ingentem non rarò faceſſunt moleſtiam in iſto incertiſſimo rerum ſtatu, aut de eligendo Patriarchâ conſultaturi, Conſtantinopolim ſubinde adeunt, iſto nomine nuncupandus eſt. Non Synodum indixit Patriarcha Jeremias literis Germanorum Theologorum de capitibus religionis reſponſurus. Hanc tamen reſponſionem, licet fortaſſe Metropolitas & Epiſcopos, ſi qui Regiæ urbi iſto tempore adeſſent, in conſilium adhibuerit, ſolo ſuiipſius nomine munitam, Eccleſiæ Orientalis dogmata & fidem continere & ſibi & aliis perſuadebat. Jam ſi alicubi immixtum quippiam, quod iſtius Eccleſiæ, præſertim antiquæ, placitis non per omnia conveniat, reperiatur ; ſi privatæ quædam opinationes in tractandis Theologiæ difficilioribus capitibus, & de quibus licet diverſos formare conceptus, ab ipſo præ nimio erga illas amore & ſtudio inſerantur, num eo ipſo nomine traducendus eſt tanquam Impoſtor & homo impius, quaſi Græcæ Eccleſiæ

fidem deditâ operâ corrupiſſet, ob interſperſa iſta dogmata, quæ religionis Chriſtianæ eſſentiam non ingrediuntur, & quaſi omni pudore decocto Germanos præfractè fefelliſſet, illis dubia & ambigua pro certis, & falſa pro veris obtruſurus? Quâ cenſurâ quid iniquius, quid atrocius excogitari poterit? non magis Cyrillum attingit hoc impoſturæ à maledicis & malevolis hominibus intentatum crimen.

Impoſtor eſt, qui alienam perſonam ſub ficto nomine gerit & mentitur, & aliud quam rei veritas fert, ſcientèr ſupponit? & ſi ad doctrinæ dogmata reſtringatur vox iſta, qui inſomnia & fabulas è cerebello prognatas, tanquam oracula divina & revelationes ſibi à Deo factas aliis proponit; quales erant Simon Magus, Barchocebas, reliquique Judæorum χειροκτόνων Pſeudo-Chriſti, Mohammedes, aliique, non qui placita levioris momenti, de quibus impunè licet dubitare, magni æſtimat, aut perperam intellectis S. Scripturis, partim ex rerum colligendarum intricatâ

tricatâ perplexitate, partim ex affectu, imperitiâ, debilitate ingenii, & ſi quod impedimentum inveſtigandæ veritatis nondum clarè revelatæ occurrat, malè colligit aut interpretatur eccleſiæ ſuæ, quæ ea indeciſa reliquerit, mentem. Error ſane ex ignorantiâ aut ex præcipiti aſſenſu, nondum ſatis exploratâ integrâ argumenti, quod multis utrinque involvitur difficultatibus, naturâ, ortus, impoſtura dici nequit, quæ cum improbitate & animo fallendi conjungitur. Hoc ſane apud æquos rerum arbitros & æſtimatores, fragilitatiſque humani ingenii memores, Cyrillum ab hoc infami ſtigmate vindicabit, modo in iſtis δυσνοήτοις Theologiæ arcanis ſtatuendis illum erraſſe concederetur. Nullis inter Græcos ſuperioribus ſeculis litibus motis de decretis prædeſtinationis & reprobationis, de originali juſtitiâ aut peccato, de juſtificatione, de libero arbitrio, de auxiliis gratiæ, cæteriſque dogmatibus, quæ Latinorum ingenia dudum exercuêre, quiſquis ſententiam ſuam, prout libebat, protulit, libere quidem

dem, ne dicam, interdum craſsè & inconditè, utpote non ad amuſſim cujuſcunque canonis exigendam. De hiſce determinandis nulla Synodus cogebatur; pauca in genere, poſthabito omni exquiſito examine, quæ allubeſcerent, ſine cujuſquam offensâ, in utramque partem modo ſacrarum ſcripturarum non læderetur authoritas, diſputata, apud Græcos Authores omnium fere ſeculorum promiſcuè & ubivis reperire eſt. Nondum authoritate Eccleſiaſticâ contraria Cyrillianis dogmata in articulos cooptari decretum erat. Si magni nominis Theologos Græcæ Eccleſiæ, qui de iis longè aliter quam ſentiebat Cyrillus, ſentire videntur, quiſpiam protulerit, ipſe alios non minus eruditione & dignitate celebres pro ſe allegabit: ut exinde contra doctrinam Eccleſiæ, quæ de iiſdem prorſus ſilet, aut ſaltem in adiaphoris ponit, dum in diverſas itur ſententias, hac de cauſa quippiam peccaſſe, multo minus impoſturam feciſſe, abſque inſigni injuria, dici non poſſit.

Fri-

Frivolum eſt, quod ultra objicit D. Simonius, in argumentum hujus fictæ impoſturæ, Cyrillum duo tantum myſteria ſive Sacramenta agnoviſſe, cum compertiſſimum ſit, ſeptem apud Græcos numerari: licet alia eſt ſancti unguenti, & olei cum oratione, alia confirmationis & extremæ unctionis ratio. Horum rituum myſticorum uſum in Eccleſiâ non negavit Cyrillus, de duobus iſtis præcipuis myſteriis, viz. de Baptiſmo & Euchariſtiâ, quæ Chriſtum habent inſtitutorem, locutus, quæ duo κυριώτερα μυστηρίων, ὧν δίχα σωθῆναι ἀδύνατον *potiora Sacramenta & ad ſalutem abſolutè neceſſaria* Jeremias Patriarcha, reliqua verò tantum ab Eccleſiâ tradita eſſe * dicit. Neque alio ſenſu ab æquo Lectore intelligi debuit Cyrillus, laxo iſtius vocis, μυστήριον, ſenſu ad hæc duo ab ipſo legis Chriſtianæ Authore ſancita, honoris & diſtinctionis causâ, reſtricto; præſertim cum ſibi compertiſſimum habuiſſet, hunc ſeptenarium myſteriorum numerum non niſi poſt mille à Chriſto nato annos in Græciâ ſignatum

* *Jeremias Patriarcha in 2° reſponſo, p.* 240.

& determinatum fuiſſe. At hanc confeſſionem, quæ erat ipſius propria, Eccleſiæ Orientalis nomine edidit Cyrillus. Soluſne verò ita credidit, neminemve ſibi conſentientem habuit? Apage perquam abſurdè & temerariò objectam, ſi quæ unquam, impoſturam. Non erat adeo præcipitis arrogantiſve ingenii Cyrillus, ut hoc ſcribere aut vellet aut auderet, quod ſane pietas, quod prudentia, quod honeſtæ famæ ſtudium vetuiſſent, ni maximam Cleri, è quo Græcæ Eccleſiæ denominatio potiſſimum pendet, partem, de veritate offuciis & ſtrophis hactenus oppreſsâ ſedulò & maturè inquirentem, amotis præjudiciis, ſibi adſtipulari, frequenti converſatione quotidianiſque colloquiis comperiſſet. Ex literis, quas inter chartas D. Gulielmi Laud Archiepiſcopi Cantuarienſis, Eccleſiæ Anglicanæ fortiſſimi & pientiſſimi martyris, reperi, à D. Cornelio Haga Batavico tunc temporis apud portam Ottomanicam Oratore, cujus authoritas apud omnes probos ſacra habebitur, & millies mille

mille convitiatorum ſuſpicionibus & cavillis præponderabit, ſcriptis, in narratione de Cyrillo oſtendi, Metropolitas & Epiſcopos, qui frequentes iſto tempore, dum in dubium vocaretur, an ipſius Cyrilli hæc confeſſio eſſet necne, Conſtantinopolim convenisſent, ſe, ſpreto omni periculo, dignitates, & vitam, ſi opus foret, in eadem fide, quam iſta confeſſio exponit, tuendâ libentiſſime projecturos, ſincero animo rotundè aſſeruiſſe. Quid ſi ex hiſce Metropolitis & Epiſcopis, qui ipſius à partibus ſteterant, Synodum ad iſtam confeſſionem firmandam ratamque habendam, indixiſſet Cyrillus? Noluit Vir modeſtiſſimus hoc ſatellitio armatus, hac pompa, hoc apparatu frui, illorum privatis ſuffragiis, iſtiſque poſt editam confeſſionem vindiciis gaviſus ſatis. Poſt ipſum verò Cyrillum invidiâ & odio inimicorum exſtinctum, ex iis qui Cyrillianæ cauſæ antea faviſſent, multos, (cæteris qui refragarentur, aut Epiſcopatibus exutis, aut in carcerem detruſis, aut ſolum vertere coactis) ſen-

ſententiam ſuam mutaviſſe, non mirabitur, quiſquis in illorum temporum hiſtoriâ vel leviuſculè verſatus eſt.

Quantum cauſæ ſuæ firmandæ conducat, ſi Jeremiam Patriarcham inter Romanæ Tranſſubſtantiationis Patronos numerare jure potuerit, ſatis ſibi conſcius D. Simonius, ut id credulo Lectori aliquatenus plauſibile reddat, tergiverſatur, ſudat, omneſque machinas verſat, contendendo, fruſtra & inutiliter quidem de voce iſtâ μεἰωσις ab illo Patriarchâ aut omiſsâ aut ſaltem neglectâ (neque apud quenquam cujuſvis ævi à temporibus Apoſtolorum ſcriptorem reperiendâ) diſputari. Non enim vocem ſolam ſed rem ipſam iſtâ barbarâ voce ſignatam, tum veteribus Patribus & Theologis Græcæ Eccleſiæ, tum Jeremiæ incognitam, contra utramque ſimul legitimis exceptionibus præſcribentes, conteſtamur. Quotieſcunque enim de Sacramento Euchariſtiæ, quod millies ab eis factum eſt, vel ex profeſſo vel obiter & prout occaſio tulerit, diſſeruêre, licet Rheto-

Rhetoricis amplificationibus, prout ſolent concitato affectu impulſi Oratores, quæ ad literam non ſemper ſunt adſtringendæ, ad majorem huic myſterio reverentiam conciliandam, ne populus accedat imparatus, quandoque in homiliis uſi fuerint, apud omnes tamen de abſentiâ ſive abolitione elementorum, deque ſolis accidentibus extra quodcunque ſubjectum ſubſiſtentibus, altum eſt ſilentium. Aliud, imò longè diverſiſſimum, τὸ μεταβολὴ, cæteraque verba Synonyma, quorum apud ipſos frequentiſſimus eſt uſus, quæ ad baptiſmales aquas, ſacrum oleum, unguentum, ipſos homines ſacris hiſce initiatos, aliaque multa applicantur, quorum eſſentia abſque aliquâ ſubſtantiali mutatione manet eadem & invariabilis; aliud μείωσις: quod abundè demonſtratum dixi ab Albertino, Blondello, quos intactos relinquit D. Simonius, aliiſque, ut id vel à pervicaciſſimæ indoſis hominibus negari nequeat, niſi qui injuſtiſſimis abſurdiſque præjudiciis occæcati ex inſano erroris amore veritatem tantâ teſtimoniorum

moniorum copiâ, tantâ argumentorum vi munitam, renitente conſcientiâ, averſari velint.

Articulum decimum Auguſtanæ confeſſionis, quo docetur, corpus & ſanguinem Chriſti verè adeſſe & diſtribui veſcentibus in cœnâ Domini, ita intellexiſſe videtur Jeremias, ac ſi Theologi Lutherani qualemcunque elementorum in corpus & ſanguinem Chriſti mutationem negaſſent, ac non ipſum verum corpus Chriſti ſed ſolus ipſius typus exhiberetur: interim ipſe parum ſolicitus, quo modo iſta fieret mutatio, an phyſica per elementorum deſitionem & abolitionem, quam Tranſſubſtantiatio ſupponit, necne, quorum eſſentiam ſimul eandem & integram manere contendebant Germani, ex hac ſuppoſitione contra ſignorum ſive typorum aſſertores inſurgit Jeremias, veritatem corporis Chriſti aſſerturus, quod per totum librum patet, ὃ τὸν τύπον ἀλλὰ τὸ σῶμα τῦ ἀληθίνως ἔχομεν, διὰ τῆς πρὸς Θεὸν ἐντεύξεως, εὐχαριστίας, δοξολογίας, ἐξομολογήσεως καὶ αἰτήσεως, *non typum, ſed ipſum corpus victoris noſtri*

Reſp. 1. p. 101.

ſtri (cujus nempe mortem divinis hiſce donis tranſcribimus) habemus, per preces ad Deum fuſas, gratiarum actionem, glorificationem, confeſſionem & petitionem, & οὐκ ὅτι δὲ τοῦτο ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος τὸ σῶμα καὶ τὸ αἷμα τοῦ χριστοῦ, μὴ γένοιτο, ἀλλ' αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου τεθεωμένον——*non eſt panis & vinum typus corporis & ſanguinis Chriſti, abſit, ſed ipſum corpus Domini deificatum*; & paſſim alibi. *Reſp. 2. pag. 240 v. etiam reſp. 1. pag. 86.*

Verum ergo cum corpus Chriſti dixerit, ſoli typico, fictitio, & imaginario id opponitur: non quaſi in ipsâ Euchariſtiæ inſtitutione corpus ipſius comedendum Apoſtolis dediſſet Chriſtus, & id ipſum, quod ad dextram Dei ſedens in cœlis triumphat, in terras infinities deſcendere credidiſſet: hanc enim blaſphemiam tanquam impiam abſurditatem peroſus, amolitur. Hiſce ſimilibuſque difficultatibus obrutus, licet panem τῇ ἀληθείᾳ μεταβάλλεσθαι verè tranſmutari in corpus Chriſti, & verum corpus Domini ibi eſſe ſtatuit, verum, nimirum, quatenus ex veritate rei, non nudâ figurâ exhibetur; ſubinde tamen ſe torquet,

&

& parum ſibi conſtat, corpus ſimul eodemque tempore myſticum perhibendo, prout opponitur corpori naturali, quod in cœlis eſt. Eo enim ipſo quod myſticum eſt, naturale non eſt, & ita nuncupatur, non quoad diverſum exiſtendi modum (non enim crudam iſtam diſtinctiunculam tot manifeſtis fœtam abſurditatibus agnovit) ſed quia hoc myſterio ex inſtitutione Chriſti repræſentatur. Solos ergo oppugnat nudorum ſignorum aſſertores: neque enim aliter ſtatuerat Eccleſia, quam ſequitur, Græca à tempore ſeptimæ Synodi. Hinc enim primæ hujus ſententiæ origines arceſſendæ ſunt. Cum enim probi homines vanum illum imaginum cultum, in maximum Chriſtianæ religionis detrimentum & dedecus, quaſi Gentilium ſuperſtitionem, quæ in colendis ſimulachris potiſſimum verſabatur, eſſet revocatura, graſſari incipientem, ex animis credulæ plebis harumce novitatum ſatis avidæ, tollere moliti, non opus eſſe quapiam aliâ imagine Chriſti, quam quæ illum exprimebat in Euchariſtiâ, ubi

ubi quaſi in effigie videbatur toties crucifixus, contenderent, ſymbola ſacra nimirum τύπον καὶ εἰκόνα *typum & imaginem* Chriſti eſſe, hujus Synodi Aſſeſſores, non inter doctiſſimos recenſendi, quod ex innumeris illorum hallucinationibus ineptiſque S. Scripturarum interpretamentis evictiſſimum eſt, quo iſtius argumenti, quod cuivis obvium erat, vim eluderent, hoc unicum maximè urgebant, Chriſtum in Euchariſtiâ non typicè & figuratè repræſentari, ſedipſius verum corpus dari & exhiberi: non enim illum dixiſſe ajunt, (quod nemo Chriſtianorum ignorat) Τοῦτό μου ἐστὶ ὁ τύπος σώματός μου, ἀλλὰ σῶμά μου, *Hoc non eſt typus ſeu imago ſeu figura corporis mei, ſed corpus meum.* Hoc elumbi & indocto Epiphanii Diaconi argumento victi, faciles conceſsêre, errorem errori, male applicando & interpretando verba inſtitutionis, accumulaturi, nulla ejuſdem formulæ verborum in rebus myſticis apud Scriptores veteris Inſtrumenti, nulla phraſium Judaicarum iſtius ſeculi, ad quas alludebat beatiſſimus noſter

noster Salvator, ratione habitâ: pari licentiâ, quâ illorum successores contendunt cum azymis non communicandum esse, quia Christus pani, non azymo, in manus accepto benedixisse dicitur, quasi massa triticea fermento carens panis nullo modo dici potuisset. Hæc erat nimirum communis Græcorum sententia ad stabiliendam εἰκονολατρίαν vafrè magis quam verè excogitata, * quam Jeremias sequitur. Non ultra sapiebant Græci de veritate corporis Christi in Eucharistiâ, de transsubstantiatione nihil, cujus arcana ipsos adhuc latebant, post mille inter Scholasticos disputationes, post mille sanguinolentas digladiationes & lanienas, inter articulos Romanæ fidei posthac in concilio Tridentino cooptanda.

* Αὐτοῦ τοῦ κυρίου εἰπόντος, τοῦτό μου ἐστιν οὐ τύπος τοῦ σώματος, ἀλλὰ τὸ σῶμα, καὶ οὐ τύπος τοῦ αἵματος, ἀλλὰ τὸ αἷμα. *Respons.* 2. *p.* 240.

Post Cyrillum vitâ spoliatum, aliosque, qui ab orthodoxâ fide retinendâ, deplorandis perpessionibus, tristique Præceptoris & Patroni fato, quod subire cogebatur propositi usque ad mortem tenacissimus, neutiquem deterriti, partibus ipsius adhæserint, dignitatibus exutos succedit Cyril-

Cyrillus Berrhœenſis, Jeſuitarum Galatenſium olim diſcipulus, vir projectæ audaciæ, vitâ probroſus, & ad omne obſequium paratiſſimus; ſuccedunt earundem partium Epiſcopi, à quibus invidiâ & odio adverſus Cyrillum defunctum percitis quid non erat obtinendum? Fruſtra illorum, qui in hac aut alterâ ſub Parthenio Synodo convenerant, objicitur authoritas, quos Roma aut gratiâ & commendatione, aut potenti educationis & pecuniarum illicio ſibi lucrata eſt. Reſorbeat ſuos, quos ſub Cyrillo Lucario evomuerat, errores, inque priſtinam relabatur ſuperſtitionem Græcia nondum reformanda: at apud poſteros non minoris æſtimabitur indefeſſus ipſius zelus, ſtrenuuſque labor, piumque de ipsâ bene merendi ſtudium, licet permittente Deo inimicorum proterviâ oppreſſus tanto oneri ſuccubuerit. Quæro tamen, num Græci, qui illum Synodali ſententiâ damnaverint, ſponte ſuâ & ex ſolo veritatis amore, nullo inſtigante aut acres adhibente ſtimulos, nullâ ope aliunde aut petitâ aut

impetratâ, hoc fecêre? Num, Græciâ hisce motibus exagitatâ, Jesuitæ solis literis & institutioni puerorum Græcorum in ædibus Galatensibus vacabant, aut mœsti aut otiosi illic sedebant, quasi nihil horum tumultuum ad illos spectasset? Novit D. Simonius, Romam hoc nuncio commotam de Cyrillo, quem nullis blanditiis ad partes suas trahere potuerit, à sede suâ depellendo, seriò meditari: novit, Jesuitas harum rerum quam maximè satagere, inque suscitandis contra legitimum illorum Patriarcham Episcopis Græcis animo inquieto & in istam rem unicè intento, quotidiè distineri. Hoc nempe fassus est in historiâ Criticâ fidei Orientalium, Cyrillum, cum repellendis, quos adjuverat Romana Curia, Jesuitis planè impar esset, victum tandem cedere: sed num ab illo tempore ab iisdem artibus cessatum est, minusve incaluere Romanenses in rebus Græciæ disponendis hodiè quam antèa? Unde ista solicitudo Græcorum suffragia & attestationes procurandi? tantumne otii à rebus

suis

ſuis habent Græci, ut controverſiis in Galliâ de re Sacramentariâ agitatis ſeſe ſequeſtros & arbitros interponant, ſententiam non rogati? num ex integro affectu & amore veritatis Hieroſolymis nuper convenerunt, oracula contra Calviniſtas hæreticos edituri? Quæ cum legerim, planè obſtupui, dum probè meminiſſem, Patriarcham Hieroſolymitanum Conſtantinopoli agentem, familiari, quo me dignatus eſt colloquio, mihi ineunte anno 1671 in Angliam propediem redituro dixiſſe, ſe quippiam contra Pontificios moliri, quod illic cuperet edendum. Hoc munere literario me indonatum abiiſſe dolebam. Hiſce aliiſque non levibus ſuſpicionibus motus, cum nondum res mihi eſſet penitus explorata, modeſte ſatis innuebam, tempus, quibus authoribus, quorumque conſiliis aut inducti aut impulſi Græci, cum de Cyrillianis dogmatibus introducendis minimè metuendum eſſet, cum altâ pace, ab omni ſchiſmatis periculo liberi, fruerentur, iſtam Synodum coegerint, revelaturum. Dum

hanc juſtam, ut videbatur, dubitationem tanquam *hariolationem* & *lepidam reſponſionem prophetâ quam Theologo digniorem* mihi exprobrat D. Simonius, non ingenui & ſolidi Diſputatoris partes agit, ſed Morionis, qui geſticulationibus invenuſtis ſanniſque illiberalibus riſum inſulſæ plebis movere & concitare ſtudet. Arcanum iſtud diu celari non potuit, nec jam amplius dubitandum eſt, Regis Galliæ legatum pro ingenti, quo terebatur, erga Romanam fidem zelo, partim blanditiis importuniſque efflagitationibus, partim largitionibus & pecuniis apud Græcos Antiſtites tantum valuiſſe, ut in Synodo iſtâ Hieroſolymis indictâ, ob ædis ſacræ in oppido Bethleemitico encœnia, prætextu Eccleſiam Orientalem ab infamiâ hæreſeos Calvinianæ, quâcum illorum aures continuò obtundebantur, vindicandi, ſe faciliorem Romanenſibus in prædam incautiùs dediderint. Quod brevi compendio refero, alii diducta in partes hiſtoriâ accuratiùs præſtabunt. Interim D. Simonius, antequam novos inconditoſq; clamores

Pag. 131.

mores cieat, D. Marchionis Nointelii domeſticos, quotquot ipſi erant ab intimis conſiliis, interroget, an credant, non dico iſtam Synodum abſque illius interventu, hortatu, & conſilio coactam fuiſſe, ſed ejuſmodi articulos & decreta ſtatuiſſe. Quod ſi concedatur, non eſt, quod nos de articulis ab illis Aſſeſſoribus illic conditis nimium torqueamus, cum, licet non hoc ſolo nomine, Synodus iſta coacta fuerit, ut ejuſmodi articuli conderentur.

De Gregorio Cretenſi, Meletio Syrigo, Cortacio, & Agapio manifeſtiſſimum eſt, illos tum poſt editam Cyrilli confeſſionem ſcripſiſſe, tum fuiſſe Λατινόφρονας & Παπαλάλους, & argumenta ipſaſque phraſes ex Latinorum libris tranſtuliſſe. Quid ad hoc D. Simonius? dicit parum intereſſe quo tempore vixerint, ante vel poſt Cyrillum. Siccine vero? cum quæſtio procederet de Authoribus, qui Gabrielem in iſtis novitatibus ſequerentur, intervallo, quod inter ipſum & Cyrillum interceſſerat: quorum ne unum quidem produxit.

Quod si è nuperioribus produxisset quingentos, præter rem & scopum omnino fuisset: contra hos enim tanquam suspectos, malæ fidei testes, & conductos non sine justis causis excipimus. Hos autem dum perstrinxerim, quos D. Simonium, severum ineptiarum censorem, non alitèr excepturum, nisi partium studio duceretur, mihi persuasum habeo, bellam inde captat Græcos Monachos mirificis laudibus prosequendi occasionem, quasi universos istius religiosi instituti homines eâdem censurâ involvissem, aut quasi quispiam humanioribus literis, præsertim Græcis, paulò imbutus, quantis reconditæ eruditionis dotibus Monachi Græcæ Ecclesiæ, cujusque ferè ævi, excellerent, ignorare potuisset. Absque ejusmodi digressionibus & longis verbosisque periodis liber non esset conficiendus. Sed horum jam hisce tristissimis temporibus rara seges est: eo quod Græci, licet ingenia omnium scientiarum capacia habeant, hac miserâ servitute, quam serviunt, nimium depressa, debitæ culturæ & disciplinæ

ciplinæ ſubſidiis penitus deſtituantur.

Piget D. Simonium eadem multoties ad nauſeam uſque repetentem perſequi, ac ſi ſolis negativis argumentis contra fictam Græcorum μεταποίωσιν contendiſſem, cum iſtud dogma, quod vox iſta infert, Græcis antea incognitum fuiſſe abundè ſatis probaverim. Græci enim, licet mutationem elementorum craſſo modo antea intellexerint, de illorum tamen integrâ & abſolutâ abolitione non niſi poſt tempora Cyrilliana quippiam decernere auſi ſunt, iſtam repugnantiam cum veris Chriſtianæ Theologiæ principiis, aut cum aliquâ rationis ſpecie conciliare prorſus neſcii: quod ex Latinorum ſive libris ſive intimâ familiaritate nuper edocti, tantopere in eorundem gratiam præ ſe ferunt: utpotè modeſtiam ſuorum majorum, quibus non licuit eſſe tam beatis, hac temerariâ ac audaci definitione, ſupergreſſi. Hoc nempe eſt hujus ævi inventum, quod conſuetis Romanenſium artibus adeò felicitèr ſucceſſit. Ut verò ex hac diſputati-

one aliquâ veriſimilitudine inferri
Pag. 152. poſſit, fidem Proteſtantium eſſe novam, quia in illorum confeſſione verba quædam occurrunt, neque in S. Scriptura, neque in vetere Symbolo reperienda, id craſſius eſt, quam à me aut à quoquam captionum Sophiſticarum paulo intelligente admitti queat. Nullum enim dogma Theologicum tanquam fidei articulum, quod cum S. Scripturâ aliquomodo pugnat, amplectimur: nullum, quod non ex illâ fidei regulâ, aut διαρρήδην & explicitè, aut legitimis clariſque conſequentiis elici poſſit; appellatione interim in controverſiis de rebus fidei ad primævam & Apoſtolicam antiquitatem, tanquam ad incorruptam teſtem & interpretem, & ad Oecumenicorum conciliorum, iſtas compendiarias fidei formulas in uſum univerſi populi Chriſtiani ex ipſis Scripturis decernentium, authoritatem factâ. Novorum terminorum aut excogitationem aut uſum non damnamus, modo dogmata iſta, quibus aut adſtruendis aut illuſtrandis adhibentur, non ſint nova, modò veteri-

veteribus dogmatibus Theologicis explicandis aptè abſque præjudicio veritatis conducant. Permiſſum fuerit Patribus Nicænis τὸ ὁμόσιον ad grande illud religionis Chriſtianæ de divinitate Chriſti myſterium contra Arianorum blaſphemias applicare, etiam & excogitare, modò in uſu ante ipſorum tempora non fuiſſet. Pariter quoque de cæteris terminis Theologicis, quos in myſteriis fidei explicandis adoptaverit Eccleſia, dicendum eſt. Contra omne jus faſque accuſantur Proteſtantes, tanquam blaſphemiarum Socini aut Serveti fautores. Quid nobis cum iſtis hæreticis, quos paritèr execramur? myſteria fidei, quæ iſti termini explicant, in S. Scripturâ contineri firmiſſimè credimus; abſque hiſce articulis admiſſis, tanquam baſi ac fundamento, religionem Chriſtianam ruere; & hanc ipſam fidem ab ipſis Apoſtolis ſuis ſucceſſoribus traditam, & ab univerſo Chriſtianorum cœtu admiſſam fuiſſe, quam contra ſuorum temporum hæreticos adſtruebant Catholici Doctores. Unquam

ne

ne fuit in horum cenſu dogma Tranſſubſtantiationis repoſitum, quod evertit fundamenta religionis Chriſtianæ, quæ miraculorum teſtimonio innititur; quod tollit omnem certitudinem tum ſenſuum tum fidei, cum ἀδύνατον ſit ἄπιστον; quod in ſe millies mille abſurditates involvit; quod naturam Sacramenti deſtruit, & quod denique primorum ſeculorum Chriſtianis erat incognitum, & non niſi ſuccedentibus ſeculis ex ignorantiâ & errore primo ad ſtabiliendum ſuperſtitioſum imaginum cultum introduci cœptum? Nunquam ſanè: quod optimâ fide aſſerit libro non ita pridem edito, Gallus quidam clariſſimus & doctiſſimus, Romanæ communionis. De Eccleſiâ Romanâ D. Simonius, cui abundè ſuppetit otii, longè melius mereretur, ſi hunc librum ſub incudem revocare voluerit, quam in authoritate ſacrarum Scripturarum convellendâ, aut in litibus levioris momenti producendis tempus, ingenium, & operam inutilitèr perdendo. Sed id fruſtra ab illo quiſpiam exſpectabit, cum ſophiſticæ

ſticæ cavillationes, quarum mirus eſt artifex, contra ſibrum illum, tot invictis argumentis & demonſtrationibus fultum, nequicquam quidem ſint valituræ. Quali autem immodeſtiâ dicit D. Simonius *Servetum iiſdem argumentis, quibus utuntur Proteſtantes contra Tranſſubſtantiationem, Eccleſiæ fidem de myſterio Trinitatis oppugnaſſe!* O malè fundatam religionem Chriſtianam, ſi iiſdem machinis verè oppugnari potuerit! Quid autem hoc aliud eſt, quam ſacroſancta Evangelii myſteria hæreticis novis prodere, quaſi horum non alia, non major è Scripturis, eque primævâ antiquitate petenda haberetur certitudo, quam illius? Sed ingentibus male ſani & pervicacis ingenii mentiumque reprobarum hominibus, myſteriorum fidei, quæ Chriſtum habuit Authorem, Apoſtoloſque ejus tum voce tum ſcriptis enarratores, certitudo & veritas in æternum perſtabit: nullæ fraudes & offuciæ illam offuſcare, nulla vis illam evertere poterit. Ad horum fidem faciendam, nihil deeſt, quod

Pag. 155.

quod modeſtia, quod ratio, quæ ſuis ſe finibus circumſcribere didicit, quod honeſtum dignoſcendæ veritatis propoſitum deſiderare poſſit. At quod ad dogma Tranſſubſtantiationis ſpectat, ubi eſt eadem revelationis divinæ evidentia? ubi eſt eadem aut Scripturæ aut antiquæ Eccleſiæ authoritas? Omnem pudorem exuiſſe oportet, qui hæc abſurda aſſeruerit. Non ex ſolâ novitate vocis, dogma, quod illa exprimit, novitatis arguimus, cum verba melius interpretandis dogmatum, quando de ipſis convenit, ſenſibus excogitare Eccleſiæ liceat, ſed dogma Tranſſubſtantiationis pariter ac vocem apud Græcos novitatem ſapere, & vocem μεταποίησις ideò inventam eſſe, ut novum iſtud dogma mentibus illorum facilius irreperet, contendimus. Ubi enim ejuſmodi explicatio non innotuit, neque illud dogma, quod iſta vox, quæcunque ſit, innuit, potuit innoteſcere. Si vero antiquis illis temporibus non innotuerit, planè novum eſt. Si enim tum eſſet in communi fide Chriſtianorum, proculdubiò

biò innotuiſſet. Dum ergo calumniatur D. Simonius me favere Servetiſmo, caveat ipſe, ne in Montani incidat deliria, quaſi novus articulorum fidei cumulus futuris poſt Apoſtolos temporibus novis revelationibus eſſet inducendus.

Non hic retexendæ ſunt ſecundæ Synodi Nicænæ Aſſeſſorum leviculæ diſputationes de Antitypis, an hoc nomine ſacra ſymbola poſt conſecrationem olim inſignirentur necne; quos in iſtâ re facti turpitèr erraſſe nobiſcum fatetur D. Simonius: neque enim citra hujuſmodi conſecrationem ſacram iſtam & venerabilem appellationem meruiſſent, ob ſolam nimirum meramque in iſtius myſterii uſus deſignationem: hoc eſt, non niſi poſt recitata Chriſti verba, quæ inſtitutionis hiſtoriam continent, invocatumq; precibus ſacerdotis Deum, ut Spiritus ſanctus in dona propoſita illabatur, ea in corpus & ſanguinem Chriſti immutaturus. De fide antiquorum Patrum, qui iſtam Synodum præceſſêre, quæro, an iſtâ voce Ἀντίτυπα de myſteriis poſt conſecrationem

tionem

tionem usi, physicam & substantialem elementorum mutationem crediderint necne. Illosne hoc sentire cuipiam credibile videbitur, qui, si quam fidem de tali mutatione habuissent, verbis negant? Num quispiam bonus aut sapiens fidem de aliquâ re solet profiteri, non tantum ambiguis vocibus, sed planè repugnantibus, & quæ ipsam penitus evertunt? Quam probi sacrorum mysteriorum explicatores, si hisce improbis subtilitatibus protervè & quasi animo fallendi delectarentur! Hoc autem parum convenit hisce sanctissimis viris, qui laudatissimâ mentis integritate ac pari veritatis simplicitate mysteria Christianæ religionis explicuêre, vocibus contra nativum illorum sensum, communemque apud omnes promiscuè significationem abuti, quasi aliud innuerent, aliud loquerentur. Alterum ideo è duobus eligat D. Simonius, ostendatque Αντίτυπον non propriè significare symbolum, imaginem, sive signum, aut saltem Patres ignorantiæ & fatuitatis, nedum dissimulatæ Catholicæ veritatis, & Calvi-

Calvinianæ hæreſeos arguat, qui, quicquid intus crediderint, in myſterio Euchariſtiæ explicando voce iſtâ uterentur, quæ phyſicam, quam fingit, & ſubſtantialem mutationem planè peſſundat & deſtruit. Semper autem alterius cum altero contrarietas retinebitur, quamdiu verus determinatuſque verbis conſtabit ſenſus, hominibuſque facultatibus ſuis rectè utendi aderit voluntas, quicquid in oppoſitum argutatur D. Simonius.

Gaudeo & in parte felicitatis meæ pono, conatus meos, quales quales ſint, memoriam Cyrilli ab atrociſſimorum ipſius hoſtium criminationibus vindicandi, quamplurimis veritatem amantibus placuiſſe; quorum ſuffragiis contentus, aliorum, qui ſe minus æquos præbent, cenſuras & convitia ſuſque deque habeo: cum hoc ſit mihi commune cum cæteris innocentium virorum, quos invidia proſtravit, Advocatis, qui ejuſmodi vindiciis adverſæ partis maledicentiam, odium, & fugillationem in ſe trahunt. Deum verò teſtor, me in iſtâ narratione de vita & geſtis Cyrilli,

rilli, quam omni diligentiâ abſque partium ſtudio, potiſſimum ex chartis ineditis eorum, qui Cyrillum optimè & familiaritèr norant, & quorum fama omni obtrectatione ſuperior eſt, (quod de duobus viris maximis, D. Thomâ Rowæo, Regis noſtri, & D. Cornelio Haga, unitarum Belgii provinciarum, iſthoc tempore Legatis veniâ D. Simonii dictum velim) collegeram, ſoli pro virili mea veritati litaſſe; libentiſſimè, ſi paris momenti & authoritatis teſtimoniis quicquam aut incerti aut falſi aſſeruiſſe convictus fuero, retractaturus.

Cum verò lectâ hac hiſtoriolâ, inſulſam iſtam & mendacem de Cyrillo, quam gloriabundus edidit, farraginem in totum ſupprimere iteratâ editione D. Simonio viſum fuerit, ad convitiandum ſe fortius accingit, veritatem illius non alitèr impugnaturus. Nam cum ex Cyrilli ſanctiſſimis moribus, ex zelo veritatis Evangelicæ contra Græcos Λατινίζοντας & Jeſuitas propugnandæ, ex infractâ animi quæcunqe pericula ſubituri fortitudine & conſtantiâ, tandemque

demque ex morte cruentâ facilè aliàs evitabili, quam hac de causâ libentiſſimè ſubiit, elogia tum Sanctitatis tum Martyrii, ipſius nomini & famæ in æternum ſacranda, jure merito deduxerim, D. Simonius tum in Cyrillum, tum in me irarum plenus, & rabie ex tantarum laudum invidiâ intumeſcens, Cyrillo impoſturæ, mihi verò impudentiæ dicam, pro illo *Pag. 162.* veritatis, quo accenditur, amore, & pro ingenti illâ, quâ præditus eſt, modeſtiâ iterum intentat. At! at! audax & temeraria accuſatio apud æquos Judices in opprobrium & infamiam ſolius improbi & gnavitèr impudentis Actoris redundabit. Qualiſnam vero eſt iſte ſtupor, & quam omni ratione vacuus, quo ſe correptum dicit, *Patriarcham Calviniſtam* *Pag. 163.* *glorioſo Martyris titulo ab Eccleſiæ Anglicanæ, quæ non adeò præclarè ſentit de Martyribus Calvinianis, Presbytero cohoneſtatum fuiſſe!* quaſi peculiaria D. Calvini & diſcipulorum ejus, ſive Janſſenii, ſivè Scholaſticorum placita, quæ in utramque partem apud ipſos Roma-

nenſes diſputantur, cum Evangelicæ & Catholicæ veritatis articulis confudiſſem. In his ſolis tuendis ſummam religionis & martyrii gloriam poſui; modo enim ſupremam & œcumenicam Papæ poteſtatem, tranſſubſtantiationem, reliquaſque Romanæ Eccleſiæ πλείας δόξας agnoviſſet Cyrillus, in cæteris, ſalvâ fide, ſalvis honore & dignitate, ſalvâ quoque vitâ ſibi ſapere licuiſſet. Egregiè ergo cavillatur D. Simonius percunctando, an mortem ſubierit Cyrillus, ob defenſionem religionis Græcorum aut Calviniſmi. Ille ſanè ſanctè ſibi propoſuit veritatem Catholicam miſerè oppreſſam à ſtrophis & corruptelis Romanenſium vindicare, & priſtinæ ſimplicitati reſtituere. Hujus causâ invidiam, odium, continuam moleſtiarum ſeriem, & denique mortem ſibi adſcivit vir imperterriti animi, nullis machinis ab hoc propoſito dimovendus. Noluit nempe Catholicæ Eccleſiæ dogmatibus de mediatorio Chriſti Salvatoris munere, de Euchariſtiâ, de Scripturarum perfectione aliiſque renunciare:

are: noluit invocationem ſanctorum, cultum imaginum & reliquiarum, tranſſubſtantiationem, incertas & malè fundatas traditiones, confeſſionis auricularis neceſſitatem, cæteroſque Tridentinæ Synodi articulos amplecti: noluit abnegatâ veritate vitam redimere, cujus ſolius causâ mortem oppetiit. Si forte ad effugiendum intentatæ mortis periculum veritatem, quod ex ſolâ fide Petri Scargæ Jeſuitæ ex Regenvolſcio memoravi, dubitatione juſta, an ita res ſe haberet, necne, interpoſitâ, olim ad iſtas incitas redactus diſſimulaſſet Cyrillus, id ſane conſtantiſſimæ, quam poſtea moriendo ſuſtinuit, profeſſioni fidei neutiquam detrahere debet apud humanæ infirmitatis memores & conſcios; quaſi ad ſanam mentem poſt lapſum redire, & meliorem ſententiam, relictâ veteri erroneâ, amplecti, eſſet gravis & pudenda *impoſtura*. Sed non opus eſt ulteriori excuſatione & apologiâ. Conſtat enim ex chartis D. Antonii Legeri, quas mihi amicè admodum communicavit vir doctiſ-

ſimus D. Petrus Allixius, fraudem & injuriam Cyrilliano nomini factam fuiſſe. Cum enim de hac fictâ defectione & palinodiâ Conſtantinopoli ſparſi eſſent rumores, Cyrillus, illo præſente, ſolennem in modum invocato Dei, qui corda ſcrutatur, & ad cujus tribunal extremo die ſiſtendus erat, nomine proteſtatus eſt, totam illam epiſtolam, ſub ipſius nomine à Petro Scargâ editam, eſſe ſuppoſititiam, neque unicum illius verbum eſſe ſuum, neque quicquid in illâ continetur, cum mentis ſuæ ſenſibus aut antea aut illo tempore, quando in Lithuaniâ moram fecerit, aut deinceps convenire. Poſthac de ementitâ iſtâ fidei confeſſione, quam in manus Archiepiſcopi Leopolienſis traditam mentiuntur, ni perfricta frons ſit, in æternum ſilebunt Calumniatores.

Unde cenſura, quâ D. Grotius perculit Cyrillum, ortum habuerit, me nec malè nec temerè judicaſſe adhuc credo. Confeſſio enim Cyrilli, quæ Remonſtrantium dogmata, quorum causâ Grotius in periculum capitis adductus

adductus erat, æque ac Pontificiorum convellit, cum iſta unione, quam propoſuit, parum convenire videbatur. Quanto autem ſtudio Jeſuitarum, & præſertim Petavii, quem loco præceptoris habuit, gratiam & amicitiam coluerit, ut multa alia indicia taceam, ex ipſius Grotii ad Petavium epiſtolis, & ex oratione D. Henrici Valeſii in funere Petavii notius eſt, quam ut id longâ & elaboratâ probatione egeat.

Quâ de causâ in Liturgiam Eccleſiæ Anglicanæ tantâ cum acerbitate invehatur D. Simonius, divinando aſſequi non poſſum, niſi fortè metuens, ne brevi iſto itinere, quod in Angliam ſuſcepit, quiſpiam de illo ſuſpicionem alat, quaſi animo ipſius communionem amplectendi illic ſeceſſiſſet, ſe, hâc abſurdiſſimâ cenſurâ prolatâ, ab omni labe hæreſeos Anglicanæ intactum oſtendere voluerit. Illamne verò *monſtroſam & ab utriſque Eccleſiis Orientali & Occidentali damnatam* quiſpiiam ſobriæ mentis jure cenſebit, quæ in præcipuis Chriſtiani Pag. 172.

cultûs officiis Liturgiis veteris Ecclesiæ, quantum diversus rerum status patitur, omni ex parte conformis est? In eâ nulli superstitiosi ritus in cultu sacro præscribuntur peragendi; ad Deum solum preces fundimus: neglectisque Angelorum, B. Virginis, Sanctorumque intercessionibus, ad Christum unicum Salvatorem & Mediatorem nostrum confugimus; quicquid veræ & solidæ veritati in animis hominum aut ingerendæ aut fovendæ, aut subveniendis illorum necessitatibus conducat, in singulis officiis abundè suppeditatur; plana & facilis oratio linguâ vernaculâ ubivis fluit, quâ in sanctâ fide Christi populus ædificatur; denique, quæ Deum cum sincero animi affectu, illibatâ pietate, integro & sano intellectu, & vero devotionis sensu, ritè colere omnes, qui sacris intersunt, docet. Unde *monstrosa* appellabitur? quam impia hæc & iniquissima censura! Valdè autem dubito, an Liturgiam nostram D. Simonius legerit nec ne: si non legerit, desidero æquitatem:

si

ſi legerit, modeſtiam & veritatis amorem. Si enim legiſſet, h. e. ſeriò & ſemotis præjudiciis, non tanto cum furore, ad inſtar cerebroſi, cui deeſt ſanum judicium, damnaſſet: ſane omnes boni & ſapientes, quorum mentem non abſtulere malitia falſuſque zelus, longè alitèr judicabunt.

DISSERTATIO,

IN QUA

Integritas & ἀυθεντία iſtius celeberrimi loci, 1 Epiſt. S. *Joannis* cap. v. verſ. 7. à ſuppoſitionis notâ vindicatur.

Vindiciæ iſtius celeberrimi textûs, 1 Epiſt. S. Joannis cap. v. verſ. 7. à ſuppoſitionis notâ.

NON eſt, quod quiſquam ſacrarum literarum ſtudioſus & amans diffiteatur, hunc verſum, qui præcipuum Chriſtianæ religionis de ſanctiſſimâ & individuâ Trinitate myſterium verbis dilucidis continet, in aliquammultis Græcis manuſcriptis codicibus deſiderari, & ſpeciatim in Alexandrino, quo theſauro planè inæſtimabili ditatur Bibliotheca Regia ad S. Jacobi. Hunc olim Vir maximus Cyrillus Lucaris, longe mitiori fato, quam quod invidiâ & odio inimicorum oppreſſus ſubiiſſet, digniſſimus, utpote à Turcis anno Chr. M. DC. XXXVIII. ſtrangulatus, ab Alexan-

Alexandrinâ ſede ad Conſtantinopolitanam adſcitus, ſecum ex Ægypto aſportavit, tandemque Regi Carolo, pientiſſimo Martyri, & beatiſſimæ memoriæ, in Angliam tranſmiſit, dono, quo nihil gratius aut magis auguſtum, exhibendum. Ille ſanè ob antiquitatem maximè venerabilis eſt, quæ longè ultra mille annos aſſurgit, quod facilè concedunt, quotquot in his ſtudiis verſantur, illum vel leviuſculè inſpecturi. Quod verò à quibuſdam dicitur, illum Theclæ nobilis Ægyptiæ fœminæ, quæ damnata ad beſtias ſub Diocletiano Martyrii coronam adepta eſt, (ut Euſebius refert in ſupplemento octavi libri Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap 3. ſi modò ſit ipſius) manu deſcriptum fuiſſe, id futile eſt, & fundamento caret: quod hic, ſi eſſet opportunum, certiſſimis argumentis demonſtrari potuerit. Omittitur quoque iſte verſus in codice novi Inſtrumenti integri, (modo excipiatur Apocalypſis) una cum Pſalterio & hymnorum è veteri inſtrumento collectorum appendice, in Archivis Collegii noſtri,

ante

ante quingentos annos exarato : ubi, ut id obiter adnotem, verba ὁ υἱὸς μου versu octavo omnino deſunt ; ut de cæteris codicibus M SS. taceam. Hinc egregiam triumphandi occaſionem captantes doctrinæ Chriſtianæ arrogantiſſimi hoſtes, ſibi gratulantur, eo uſque audaciæ provecti, ut contendant, Catholicos præter mentem Apoſtoli & primorum exemplarium fidem hunc locum inſeruiſſe. Unicum, qui inſtar omnium erit, Fauſtum Socinum citabo, qui in commentariis in hæc verba ita loquitur, *Satis conſtat illa eſſe adulterina, & ab hominibus, qui ſuum dogma de trino & uno Deo quacunque ratione defendere & propagare volebant, in hunc locum infarcta.* Hoc verò piis ac ſobriis Lectoribus, qui res controverſas æquâ lance trutinare ſolent, perpendendum relinquo, utrum majorem veri ſpeciem præ ſe ferre videatur, illos, qui hujus articuli, in quamplurimis ſacræ Scripturæ locis fundati, fidem & doctrinam amplectentes, eandem ab ipſis naſcentis Eccleſiæ incunabulis deductam, irridentibus

bus Ethnicis, firmiſſimè & abſque omni hæſitatione propugnarunt, falſi & ſuppoſitionis, cujus nulla vel fingi poteſt neceſſitas, crimen non diu celandum deditâ operâ admittere, an hoc potius ab hujus myſterii adverſariis fieri, quibus tanquam ſacrarum Scripturarum corruptoribus Catholici Doctores haſce impias placita laſcivientis ingenii defendendi artes crebris convitiis exprobrabant, & quorum maximè intererat hunc textum, ne illius authoritate opprimerentur, è multis exemplaribus deleri: inde ab aliis codicibus, à Librariis ſegniter & abſque accurato examine tranſcriptis, facilè abeſſe poſſe nemo non videt. Qui cum admodum rari eſſent, (de epiſtolis Canonicis loquor, cum longe major Evangeliorum & Epiſtolarum S. Pauli olim ſuppeteret copia) non mirandum videbitur, ſi S. Athanaſius, Cyrillus Alexandrinus, & Hilarius, qui hoc argumentum contra hæreticos editis libris fusè & ex profeſſo tractarunt; ſi identidem S. Auguſtinus libro 3. cap. 22. contra Maximinum Epiſ-

Epiſcopum è ſectâ Arianorum, S. Leo epiſtolâ ad Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quâ blaſphemos Eutychetis errores confodit, epiſt. xxiv. cap. 5. Eucherius de queſtionibus N. Teſtamenti, Oecumenius, aliique hujus teſtimonii nullam fecerint mentionem, utpote corruptis exemplaribus uſi. Quod de verſionibus Syriacâ & Arabicâ, prout hodie exſtant, dicendum arbitror, quarum antiquitas, quicquid contendunt aliqui, longè infra primi concilii Nicæni tempora ſubſidit, ut de Æthiopicâ quaſi nudiuſtertiùs factâ nihil dicam. Sive ergò ad paucitatem exemplarium in iſtis temporibus reperiendorum, ſive ad malitioſam improbamque hæreticorum induſtriam animum advertamus, hunc defectum facilè contingere potuiſſe, conjecturam, eamque non levem, facere licet, ſi nullus codex, in quo reperitur iſte verſus, hodiè exſtitiſſet: cum ſaltem è veteribus Patribus aliqui illum, in illorum codicibus ſuo loco poſitum, tanquam genuinum & authenticum citaverint.

Theo-

Theologi Lovanienſes, multis Latinis N. Teſtamenti exemplaribus ſimul collatis, verſum hunc à quinque tantum abfuiſſe aſſerunt. R. Stephanus in editione ſuâ quindecim aut ſedecim vetuſtis codicibus MSS. utebatur, quorum major pars eundem quoque retinebat: ita etiam editio Complutenſis, (opus ſane egregium, ſi ad tempus, quo comparuit, quando ſacrarum literarum ſtudium è barbarie Scholaſticorum vix integrum emerſerit, reſpiciamus) ad fidem antiquorum codicum exacta, hac levi variatione, ὅτι τρεῖς εἰσι οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι. Ipſe Eraſmus fatetur ſe in Angliâ codicem manuſcriptum, quem ideò Britannicum nuncupat, vidiſſe, in quo ſeptimus verſus integer juxta hodiernam lectionem (niſi quod pro οἱ τρεῖς apponatur ὅτι οἱ τρεῖς, & articuli omittantur) exſtitit, ultimâ verſûs octavi clauſulâ hoc modo immutatâ, καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, πνεῦμα, ὕδωρ, καὶ αἷμα εἰς τὴν μαρτυρίαν τῶν ἀνθρώπων. Non

Non advocabo in ſubſidium duos libellos ſub nomine S. Athanaſii editos, quibus illum habemus citatum, cum in ejuſdem genuinis libris neutiquam reperiendum eſſe ſupra dixerim: quorum alter diſputationem cum Ario Nicææ tempore concilii initam continet: titulum enim mentiri è ſerie narrationis ſatis patet: cum non ipſe Arius, ſed quidam ex ipſius diſcipulis fictam iſtam perſonam gerat, indoctis Librariis Arium pro Ariano ſubſtituentibus, & totus iſte dialogus manifeſtæ ſuppoſitionis ſit poſtulandus, pro more orthodoxos & hæreticos ſub ementitis nominibus invicem ſecum de myſteriis fidei certantes introducendi, qui longè ante ſextum ſeculum obtinuit: * ibi legitur, πρὸς δὲ τούτοις πᾶσιν Ἰωάννης φάσκει, ᾗ δὶ τρεῖς τὸ ἕν εἰσι. Alter ſolùm Latinè exſtat, de *unitâ Deitate Trinitatis* ad Theophilum, ubi † hæc verba occurrunt, *dicente Joanne Evangeliſtâ in epiſtola ſuâ, tres ſunt, qui teſtimonium dicunt in cœlo, pater & verbum & ſpiritus: & in Chriſto Jeſu unum ſunt.* Hic verò liber S. Athanaſio

* 1. *Vol.* p. 147. *Pariſiis* 1627.

† *Lib.* 1°. *de unitâ deitate Trinitatis, Vol.* 2. p. 553. *Hos libros ſub nomine S. Athanaſii Vigilium Tapſinſem ſuppoſuiſſe certiſſimum eſt.*

thanaſio jure abjudicatur, etſi fortaſſe uno aut altero poſt illum ſeculo ſcriptus fuerit. Utriuſque apud me nulla authoritas habetur, neque quicquam ad rem controverſam facit.

Jam verò ſi S. Cyprianum & Hieronymum in ſuis codicibus ita legiſſe probavero, hujus textûs ἀυθεντία fruſtra in dubium vocari poterit.

Quod ad S. Cyprianum, qui martyrio circa medium ſeculi tertii longè ante exortam hæreſin Arianam, coronatus erat, ſpectat, ille hunc verſum in libro de unitate Eccleſiæ exertim citat: *dicit Dominus, ego & Pater unum ſumus; & iterum de Patre & Filio & Spiritu ſancto, & hi tres unum ſunt.* Non hic quoquo modo mihi neceſſarium videtur inquirere, quo ſenſu vir ſanctiſſimus hæc verba intellexerit, cui integritatem textûs, qui ſolicitatur, ſolum negotium vindicandi incumbit; cum apud antiquiſſimos Scriptores non parum in uſu fuerit, quod omnibus eorundem Lectioni addictis cognitiſſimum eſt, loca ſacræ Scripturæ non ſemper juxta literalem ſenſum, ſed quandoque συν-

καταβατικῶς

καταβατικῶς ſive per modum accommodationis, illos interpretari. Hoc verò S. Cypriani teſtimonium adeò certum & perſpicuum *Sandio videtur, ut ad illius vim & pondus eludendum miris tergiverſationibus uti neceſſe habeat, fingendo, multa in iſtâ epiſtolâ fuiſſe immutata, addita, adempta, aliquamque variationem paſſa, quod ex Poſſevini, qui illam ope quatuor codicum manuſcriptorum contulit, Riveti, item Perkinſii, & Jameſii noſtratium, confeſſione it probatum, & inde audactèr ſatis concludit verſum hunc, quem, juxta ipſum, S. Cyprianus ignoravit, interpolatum eſſe: *quam facilè itaque etiam hic locus interſeri potuit ab his, qui non exhorruerant ſacras literas corrumpere propter metum hæreticorum.* Quod abſque omni legitimâ probatione & authoritate ullius libri manuſcripti gratis dicitur. Certo enim certius eſt, neque Pamelium neque Rigaltium, neque quenquam alium operum S. Cypriani editorem variantes lectiones hujus loci, qui in omnibus editioni-

* *In appendice interpretationum paradoxarum, p. 380.*

bus idem eſt, adnotaſſe. Quod verò hæc epiſtola S. Cyprianum habuerit Authorem, hancque lectionem ab ipſius temporibus invariatam manſiſſe, liquet è * S. Fulgentio, qui non ſolum hunc ſeptimum verſiculum, de quo contendimus, in libro de fide Catholicâ adverſus Pintam Epiſcopum Arianum, in teſtimoniis de Trinitate productis, & in libro de Trinitate ad Felicem Notarium cap. iv. quod ita incipit; *En habes in brevi alium eſſe Patrem, alium Filium, alium Spiritum ſanctum, alium & alium in perſona, non aliud & aliud in naturâ: & idcirco ego, inquit, & Pater unum ſumus; unum, ad naturam referre nos docens; ſumus, ad perſonas: ſimilitèr & illud, tres ſunt, inquit, qui teſtimonium dicunt in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum ſunt. Audiat Sabellius, ſumus: audiat, tres: & credat eſſe tres perſonas, & non ſacrilego corde blaſphemet, dicendo, ipſum ſibi eſſe Patrem, ipſum ſibi Filium, ipſum ſibi Spiritum ſanctum, tanquam*

* *Ex editione Theophili Raynaudi, S. J. Pariſiis 1671, una cum S. Leonis, Maximo Taurinenſi, &c.*

Pag. 772.

Pag. 591.

tanquam modo quodam ſeipſum gignat, aut modo quodam à ſeipſo ipſe procedat, cum hoc etiam in naturis creatis minimè inveniri poſſit, ut aliquid ſeipſum gignere valeat. Audiat ſcilicet & Arius unum, & non differentis Filium dicat eſſe naturæ, cum natura diverſa unum dici nequeat : ſed hunc ipſum S. Cypriani locum in libro contra objectiones Arianorum, in reſponſione ad decimam ſive ultimam objectionem producit: cujus verba hic quoque apponam, *In Patre & Filio & Spiritu ſancto unitatem ſubſtantiæ accipimus, perſonas confundere non audemus ; beatus enim Johannes Apoſtolus teſtatur, dicens, tres ſunt, qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum ſunt. Quod etiam beatiſſimus martyr Cyprianus in epiſtolâ de unitate Eccleſiæ confitetur, dicens, qui pacem Chriſti & concordiam rumpit, adverſus Chriſtum facit : qui alibi præter Eccleſiam colligit, Chriſti Eccleſiam ſpargit. Atque ut unam Eccleſiam unius Dei eſſe monſtraret, hæc confeſtim teſtimonia de Scripturâ inſeruit, dicit* Pag. 447.

Dominus, ego & Pater unum ſumus, & iterum de Patre & Filio & Spiritu ſancto ſcriptum eſt, & hi tres unum ſunt.

Si quiſpiam hic pertendat, S. Cyprianum poſteriorem verſûs octavi partem allegaſſe, juxta lectionem vulgatæ Latinæ verſionis, & *hi tres unum ſunt*, & * Facundum Hermianenſem Epiſcopum in defenſione trium capitulorum concilii Chalcedonenſis Cyprianum, cujus verba quoque citat, (licet memoriæ lapſû ea in epiſtolâ ſive libro, quem de Trinitate ſcripſit, exſtare dicat) ita intellexiſſe videri, reſpondeo, primo, iſtam præpoſitionem *in* ex octavo codicis Latini verſu facilè excidere potuiſſe, ut planè excidiſſe videtur. Syrus enim interpres hodiernam Græci codicis in iſtâ clauſulâ lectionem ſequitur, uti Arabs ſimilitèr: neque enim verſio Æthiopica hac in re hili æſtimanda eſt, utpote recens & in multis locis Latinæ verſioni ab Editoribus, quibus non integrum N. Inſtrumenti ex Abyſſiniâ advectum ſuppetebat exemplar, conformis

* *Lib. 1. p. 16. ex edit. J. Sirmondi Pariſiis 1629.*

formis reddita. Quid vero Alexandrino codici, qui eandem cum impreſſis retinet lectionem, ab iis opponi poſſit, neſcio, ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, τὸ πνεῦμα καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν ; cui concordat noſter codex, aliique, quos ſequitur Oecumenius. In aliquibus codicibus Latinis prorſus omittuntur verba iſta verſûs octavi, *& hi tres in unum ſunt*, uti in editionibus Græcis, tnm Complutenſi, tum Ariæ Montani. Agnoſco, quod in margine editionis Complutenſis adnotatum repererim, Thomam Aquinatem in expoſitione ſecundæ Decretalis de ſummâ Trinitate contra Abbatem Joachimum, qui malè interpretando ultimam VII. verſûs clauſulam de unitate voluntatis & conſenſûs, ſuæ opinionis ſubſidium petit ex clauſulâ verſiculi ſequentis, dixiſſe, *Sed hoc veris exemplaribus non habetur, ſed dicitur eſſe appoſitum ab hæreticis Arianis, ad pervertendum intellectum ſanum authoritatis præmiſſæ de unitate eſſentiæ trium perſonarum.*

Ita ex nimiâ, quâ ferebatur, erga verſionem vulgatam Latinam reverentiâ, Aquinas credidit iſtud additamentum factum fuiſſe, ne de fide aut eruditione Interpretis quippiam malè ſuſpicaretur; quod facilè præcaveri poterat, modò Græcos codices M SS. conſuluiſſet. Hoc verò in iſto ſeculo, quo ubique graſſata eſt Scholaſticorum barbaries & craſſa politioris literaturæ ignorantia, minimè erat exſpectandum.

Secundo. Uti gratis dicunt hanc lectionem vulgatæ verſionis eſſe veram & antiquiſſimam, ita S. Cyprianum iſtâ Latinâ verſione uſum fuiſſe abſque vel minimâ rationis umbrâ malè fingunt: cujus contrarium ex innumeris ſacræ Scripturæ, quæ in libris illius ubivis ſparguntur, teſtimoniis patet. Hanc vero eſſe literalem verſionem clauſulæ ſeptimi versûs, *& hi tres unum ſunt*, neque S. Cyprianum aut octavum verſum omninò, aut multo minus veterem vulgatam, quæ hodie in uſu eſt, reſpexiſſe, ex Fulgentio extra dubium poni debere mihi videtur.

Poſt,

Poſt, cum multi, quo adorandæ Trinitatis myſterium promptius & facilius everterent, hunc ſeptimum verſum omittendum eſſe voluerint, S. Hieronymus, juſto zelo & catholicæ veritatis amore accenſus, in Præfatione ad Epiſtolas Canonicas, tum in impiam hæreticorum, qui hoc ſacrilegium admisêre, perfidiam invehitur, tum ſinceram integramque verſiculi authoritatem, cujus evidentia & vis illos tantopere infenſos reddebant, contra illorum perverſas cavillationes vindicat. * Illam Lectori integram hic repræſentabo. *Non ita ordo eſt apud Græcos, qui integrè ſapiunt, & fidem rectam ſectantur, epiſtolarum ſeptem, quæ Canonicæ nuncupantur, ſicut in Latinis codicibus invenitur. Quod quia Petrus primus eſt in numero Apoſtolorum, primæ ſunt etiam ejus epiſtolæ in ordine cæterarum; ſed ſicut Evangeliſtas dudum*

* Hanc reperi in quamplurimis codicibus MSS. quos conſului, tam in Bibliothecâ Bodleianâ, quam in noſtrâ; impreſſam quoque in veteri editione N. Teſtamenti cum gloſſa interlineari & in Complutenſi. An ſit genuina S. Hieronymi epiſtola, à nemine juſtè dubitari poteſt: quod Eraſmus & Socinus ultro fatentur, quippe quæ eundem genium & ſtylum ubivis refert. Quod verò Eraſmus in operum S. Hieronymi editione Baſileenſi eam omiſerit, ſive id conſilio & arte, ſive caſu fieret, jam non inquiram.

ad

ad veritatis lineam correximus, ita has proprio ordini Deo juvante reddidimus. Eſt enim primo earum una Jacobi, duæ Petri, & tres Johannis, & Judæ una. Quæ ſi ſicut ab eis digeſtæ ſunt, ita quoque ab Interpretibus fidelitèr in Latinum verterentur eloquium, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec ſermonum ſeſe varietas impugnaret, illo præcipuè loco, ubi de unitate Trinitatis in primâ Johannis epiſtolâ poſitum legimus, in quâ etiam ab infidelibus tranſlatoribus multum erratum eſſe à fidei veritate comperimus; tria tantummodò vocabula, hoc eſt, aquæ, ſanguinis, & ſpiritus in ipsâ ſuâ editione ponentibus, & Patris, Verbique, ac Spiritûs teſtimonium omittentibus, in quo maximè & fides Catholica roboratur, & Patris ac Filii ac Spiritûs ſancti una divinitatis ſubſtantia comprobatur. In cæteris verò Epiſtolis, quantum à noſtrâ aliorum differt editio, lectoris prudentiæ derelinquo. Sed tu, virgo Chriſti, Euſtochium, dum à me impenſius Scripturæ veritatem inquiris, meam quodammodo ſenectutem invidorum

rum dentibus corrodendam exponis, qui me falſarium corruptoremque ſacrarum ſcripturarum pronunciant. Sed ego in tali opere nec æmulorum meorum invidentiam pertimeſco, nec ſanctæ Scripturæ veritatem poſcentibus denegabo.

Ad vim & nexum hujus teſtimonii, quo ſe implicitos ſentiunt, ſolvendum, maximè laborant Eraſmus & Socinus, omneſque in partes ſe verſant, & ne ſilere videantur, rem futilibus & parum ingenuis reſponſionibus expediendam eſſe ſibi blandiuntur. Dixerat antea Socinus, *fortaſſe ante Hieronymum vix ullus invenietur, qui teſtimonium iſtud hoc in loco planè agnoverit,* cujus conjecturæ, licet eam modeſtè & quaſi dubitando protuliſſe videretur, falſitatem ex S. Cypriano ſupra evici: hac verò malâ hypotheſi fretus, S. Hieronymo falſi dicam impingit, *qui, ut recte de eo Eraſmus alicubi ſcribit, non ſatis prudenter ſæpe ad victoriam & ad cauſæ ſuæ defenſionem & favorem multa trahebat, nactus fortè exemplar aliquod, aut etiam plura exemplaria,*

emplaria, in quibus particula iſta ita adjecta fuerat, ut fraus animadverti non poſſit, adverſus fidem aliorum omnium exemplarium, tam Latinorum quam Græcorum, lectionem particulæ iſtius tanquam germanam defendere & promovere cæpit, conquerens publicè eam culpâ & fraude hæreticorum abraſam à vulgatis codicibus fuiſſe. Quæ mera & putida calumnia eſt, quam Hieronymus ipſe, ſatis gnarus cum quibus convitiatoribus non tantum ſui temporis ſed etiam poſt mortem fuerit confligendum, juſtâ & legitimâ fidei & probitatis defenſione eluerat. Ejuſmodi convitia, quaſi ſacras Scripturas corrupiſſet, infracto animo ſpernebat, cedere neſcius. Facilè tamen mihi perſuadeo hancce litem ipſi intentatam magis ex invidiâ & æmulatione aliorum, quam ex hæreticorum malitiâ proficiſci, & integram S. Scripturarum verſionem, quam ex Ebræo fonte adornaverat, potius quam hunc verſiculum reſpicere. Ut ut ſit, urget Hieronymus hoſce *infideles Tranſlatores*, puta, qui aut Sabellii aut Arii hæreſin ſapiebant,

bant, hoc gravi errato; hancque corruptelam tanquam manifeſtam iis exprobrat, quod ſanè, pro iſtâ quâ pollebat, ſagacitate & prudentiâ vix feciſſet, ſi in Græcis codicibus, quorum authoritati innitebatur, aliter fuiſſet lectum.

Quam levi ergo ſobriæ rationis prætextu Eraſmus & Socinus commenti ſint, S. Hieronymum publicam & communem lectionem immutaſſe, penes omnes malis affectibus vacuos arbitrium eſto. Suppoſito verò iſtorum temporum codices, quod contendit Eraſmus, variaſſe, (accuſatur enim injuſtiſſimè & falſiſſimè Hieronymus, ac ſi ille hunc locum primus interpolaſſet) interrogat, *quonam argumento docet, utrum ſit rectius utrumve ſcriptum ſit ab Apoſtolo, præſertim cum quod reprehendit, tum haberet publicus uſus Eccleſiæ?* cui poſtulato facilè ſatisfiat, reſpondendo,

1. Aliquot codices mutilatos vitiatoſve authoritati meliorum jure non poſſe quicquam præjudicii afferre.
2. S. Hieronymum juſtiſſimis de cauſis iſtam lectionem prætuliſſe, quæ maximè

maximè inſerviebat firmando huic Chriſtianæ fidei articulo, juxta fidem & doctrinam Catholicæ Eccleſiæ à primis Apoſtolorum temporibus traditione haud interruptâ deducto, & quem univerſus Chriſtianorum populus amplexus eſt, paucis exceptis, cum iſtæ lites primò agitari cæpiſſent, quos ira, livor, arrogantia, mentis pervicacia, ac innovandi pruritus in contrarias partes traxiſſent. Verum tamen S. Hieronymus hac in re verbis adeò claris mentem ſuam explicuit, ut juſtè mirari ſubeat, Eraſmum de illorum ambiguo & perplexo ſenſu queri potuiſſe, *non ſatis video, quid ſibi velit hoc loco Hieronymus*, niſi juſtior ſuſpicandi ratio ſubeſſet, virum illum maximum, egregiis omnigenæ eruditionis dotibus ornatum, de myſteriis fidei Chriſtianæ non benè & Catholicè ſenſiſſe. Non negaverim illum interdum admodum cautè agere, utpote in apertas blaſphemias erumpere vix auſum, non tamen firmâ & integrâ mente iiſdem myſteriis acquieviſſe nimium liquet.

Hic

Hic ſanè fatetur eandem eſſe naturam Patris & Filii & Spiritûs S. ſimpliciſſimam & individuam: quam tamen dogmaticè ſtatuit ex hoc textu demonſtrari non poſſe, *conſtat hic agi de fide teſtimonii, non de ſubſtantiâ perſonarum*, (quem Beza ſequitur) & artificiosè & ſubtilitèr admodum agnoſcit pietati convenire, ut *ſenſum noſtrum judicio Eccleſiæ ſubmittamus, ſimul atque claram illius ſententiam audierimus*, hoc eſt, quamprimum de hiſce articulis illis ſtatuerit, (quod ſane publicis Symbolis, in quibus, expugnatâ hæreſi, Chriſtiana fides firmatur, longè ante multa ſæcula ſtatuit) tamen huic modeſtiæ quaſi renuncians, de libertate interpretandi Scripturas cuivis concedendâ interponit, ac ſi de integrâ veritate revelatâ nondum conſtitiſſet, & Eccleſia Chriſtiana in ſuis definitionibus & articulis hactenus erraſſet, *nec interim tamen*, inquit, *nefas eſt citra contentionem ſcrutari verum, ut Deus aliis alia patefacit:* quod etiam à Socino ejuſque ſequacibus obtenditur: & juxta hanc hypotheſin in gratiam Ariano-

Arianorum, aliorumque, quos Eccleſia Chriſti verè orthodoxa & Catholica infami hæreſeos ſtigmate inuſſit, plurima N. Teſtamenti, & potiſſimum hunc, quo de in præſenti agitur, interpretatur, obſcuritate textuum ferè ubivis objectâ, conaturque, quantum in ipſo eſt, vim iſtius loci 1 Tim. iij. 16. expungendo vocem Θεὸς, eludere, hoc vaniſſimo prætextu, quod ab Arianis ipſa adderetur. Unde eſt, quod cenſuram à Viro ſuſpectæ fidei in S. Hieronymum pro veritate myſteriorum religionis Chriſtianæ tanto cum ardore cum ſui temporis hæreticis contendentem exercitam nè flocci quidem faciamus: *Ille ſæpenumero violentus eſt, parumque pudens, ſæpe varius, parumque ſibi conſtans.*

Poſt Hieronymum, unum aut alterum addere ſatis erit. Idacius Clarus Epiſcopus Hiſpanus, qui floruit exeunte ſeculo quarto, utroſque verſus producit, ordine quidem inverſo & non ſine aliquâ variatione, * in libro

* *Tom. 4. Bibliothecæ veterum Patrum, Pariſiis 1610. pag. 372. Sed hi libri perperam adſcribi videntur Idacio, cum Vigilium Tapſenſem habeant Authorem. 1°. lib. cap. 5. p. 367. ex edit. Chifletii.*

contra

contra Varimadum Diaconum ex Arii aſſeclis, reſponſione tertiâ. *Item ipſe* (i.e. Joannes Evangeliſta, cujus Evangelium paulò ante allegaverat) *ad Parthos, tres ſunt, inquit, qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum ſunt:* ex quo Author collectionis Epiſtolarum Decretalium, quas ille ſub Pontificum Romanorum nomine ſuppoſuit, * in primâ epiſtolâ Hygini, mutuatus eſt idem teſtimonium hinc emendandum & ſupplendum, *Item ipſe ad Parthos, tres ſunt, qui teſtimonium perhibent in terram, aqua, ſanguis, & caro, & tres in nobis ſunt; qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum ſunt.* Sed longe certius teſtimonium, nec à quoquam in dubium vocandum profero, nimirum Eugenii Carthaginenſis aliorumque orthodoxorum Eccleſiæ Africanæ Antiſtitum, in confeſſione fidei oblatâ Hunerico regi † apud Victorem Vitenſem. *Et ut adhuc luce clarius unius divinitatis eſſe cum Patre & Filio Spiritum ſanctum doceamus, Joannis Evangeliſtæ teſtimonio*

* *Conſule epiſtolarum Pontificalium cenſuram à Dn. Blondello editam Genevæ A. Ch.* 1628. *pag.* 190.

† *De perſecutione Vandalicâ lib. 3. ex edit. Chiſletii. Divione* 1664. *pag.* 42.

ſtimonio comprobatur : ait namque, tres ſunt, qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus ; & hi tres unum ſunt. Nunquid ait tres indifferenti æqualitate ſejuncti, aut quibuſlibet diverſitatum gradibus longo ſeparationis intervallo diviſi ? Sed tres, inquit, unum ſunt. Sic etiam

* *Pag.* 206. *ex editione Chifletii Divione* 1664. * Vigilius Tapſenſis Epiſcopus in libro primo de Trinitate, *dicente Joanne Evangeliſtâ in epiſtolâ ſuâ, tres ſunt, qui teſtimonium dicunt in cœlo, Pater & Verbum & Spiritus : & in*

Pag. 209. *Chriſto Jeſu unum ſunt : & poſt, Jam audiſti ſuperius Evangeliſtam Joannem in epiſtolâ ſuâ tam abſolutè teſtantem, tres ſunt, qui teſtimonium dicunt in cœlo, Pater & Verbum & Spiritus ſanctus ; & in Chriſto Jeſu unum*

Pag. 281. *ſunt :* & de Trinitate lib. xj. *unde & Joannes in epiſtolâ ſuâ ait, tres ſunt, qui teſtimonium dicunt in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus, & in Chriſto Jeſu unum ſunt.*

Libens fateor utroſque verſiculos non ſemper eodem verborum tenore expreſſos eſſe, illamque variationem in vetuſtis codicibus reperiri, quibuſdam

dam τὸ ἐν τῷ οὐρανῷ & ὅτι τῆς γῆς ſive ἐν τῇ γῇ omittentibus, quibuſdam verò retinentibus. Quod enim ad ea verba, *in terrâ*, ſpectat, Socinus quoque fatetur, ea in quibuſdam emendatis exemplaribus exſtare; ne vero orthodoxi hac conceſſione quippiam lucrentur, mox dicit, ea in emendatioribus deeſſe. Facilè cuipiam paulò emunctioris naris ſubodorari licet, ſi unum aut alterum fuiſſet relictum, præcipuè poſterius ἐν τῇ γῇ, alterum ex altero inferri potuiſſe: ideo nemini mirum videri debet, ſi primi corruptores, ne fraus patere, & ut perfidia minus ſuſpecta redderetur, utrumque omittere ſibi conſultius fore duxerint: cujus corruptelæ jure inſimulandus videtur codex ille antiquiſſimus, ut D. Grotio videtur, ubi ſola hæc verba occurrunt, ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, τὸ πνεῦμα καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα: qui inde conjecturam arripit ultimam clauſulam καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι cum priori verſu ab ipſis Arianis, ut Patrem, Filium, & Spiritum S. unum eſſe ſolo conſenſu adſtruant, additam fuiſſe. *Quod cum*

viderent Catholici, abſtuliſſe quidem eos illud quod de Patre & Filio & Spiritu SS. inſertum fuerat, ſed reliquiſſe illud, tres unum ſunt, quia id ita poſitum illis nocere non poterat. Alios verò, relicto illo loco de Patre, Filio, & Spiritu S. ibi quidem poſuiſſe, unum ſunt: de Spiritu verò, aquâ, & ſanguine, in unum ſunt, ut alius modus unitatis ſignificaretur. Quod gratis dicitur, nullâ ratione, nullo ex antiquis Scriptoribus teſtimonio adhibito, & ſolâ magni Viri, qui ſæpenumero hujuſmodi commentis nimium quantum indulget, conjecturâ nititur.

* *In appendice interpretationum paradoxarum, pag* 381.

Quod verò * Sandius argutatur,

1. *Omiſſo ſeptimo verſu meliorem eſſe verborum connexionem*, modo ex hypotheſi verum eſſet, quod negamus, id non modò vanum & frivolum, ſed temerarium & impium haberi debet; cum perinde ſit, ac ſi quis Spiritum Dei ad ejuſmodi formulas loquendi, quæ compto quodam artificio & contexturâ ſophiſtarum inanibus ingeniis maximè placeant, velit reſtringere. Quo prætextu aliis Innovatoribus non ſolum verſus hinc illinc

illinc per ſcripturas ſparſos, ſed integras periochas, ſtylo non adeò ſublimi & methodo non accuratâ neque Græcæ eloquentiæ conformi elaboratas, expungere impunè liceret.

2. *Indignum eſſe ſummo Deo eſſe teſtem, imo coram quo Judice teſtis foret?* quâ cavillatione, quid magis impium, imo quid ineptius dici poteſt? Hoc enim ipſo teſtatur Deus, quod ſtupendis iiſque manifeſtis ſignis indiciiſque hominibus patefecerit, Chriſtum natum in carne eſſe verum Meſſiam, & à cœlo deſcendiſſe. Quo ſenſu ſæpe occurrit iſta vox hoc in capite & alibi, abſque omni indignitatis aut injuriæ, quâ quippiam divinæ eſſentiæ honori detrahatur, notâ. Hujus verò commenti origo hinc oriri videtur, quod modum perhibendi teſtimonium, quod in humanis judiciis obtinet, cum teſtimonio divino, quaſi pariter eſſet proferendum, miſerè confuderit.

3. Eſſe quam maximè veriſimile hunc verſiculum à Sabellianis fuiſſe interpolatum: in quâ futili conjecturâ refutandâ morari planè piget.

4. In multis codicibus MSS. hoſce duos verſiculos non ſemper eodem ordine diſponi: quod & ſupra oſtendi: ex hâc autem inverſione, ſuppoſitionem ſeptimi verſiculi inferri aut poſſe aut debere, nemo ſanus dixerit.

5. Hunc verſiculum Arianorum opinationibus maximè favere; quod idem eſſet, ac ſi quiſpiam Ariſtotelicum illud de æternitate mundi dogma è primis libri Geneſeos verbis adſtrui poſſe ſtatueret. Cum verò homines iniquiſſimis præjudiciis contra Eccleſiæ Catholicæ doctrinam laborantes, vani ingenii commentis in ſacris Scripturis interpretandis velificari ſtudeant, nemo ad hanc vafritiem indagandam paulò attentior, mirabitur, illos loca Scripturæ interpretamentis novis audacibuſque, in favorem malè animo præconceptarum opinationum, contentiosè detorſuros, in quibus Orthodoxi præcipuum veritatis Catholicæ præſidium meritò collocare ſolent. Quod de hoc inſigni loco maximè dici oportet.

DE-

DEFENSIO

Superioris

DISSERTATIONIS

CONTRA

Exceptiones *D. SIMONII*
in Criticâ hiſtoriâ Novi
Teſtamenti.

Defenſio ſuperioris diſſertationis contra exceptiones D. Simonii.

CUM Criticam hiſtoriam novi Teſtamenti à D. Simonio editam primò in manus ſumpſiſſem, ſyllabum capitum celeri oculo percurrendo, ad caput decimum octavum, quo inſignis ille locus S. Joannis, de quo * D. Seldenus, aliique quamplurimi, præſertim Commentatores, variè diſſeruerunt, ſub examen revocatur, ſtatim, omiſſis cæteris, me contuli, utpote cupidiſſimus ſciendi, ſi quod ab homine in his literis non parum exercitato, ad convellendam illius authoritatem, elaboratum fuerit, quod me à ſententiâ, quam in ſuperiori diſſertatione non temerè neque ſine libratis rerum momentis perpendiſſe mihi viſus fuerim, dimovere poſſit. Neque enim alitèr eſſet exſpectandum,

* *De Synedriis veterum Ebræorum, lib. 2. cap. 4.*

ſpectandum, quin pro pruritu iſto ſacras Scripturas ſolicitandi, qui in Criticâ veteris teſtamenti ubivis ſe prodit, in hac alterâ omnes ingenii & induſtriæ nervos idem Author intenderet, ut hoc præclariſſimum de ſanctiſſimâ Trinitate teſtimonium è ſacro contextu expungeretur. Non enim ſui diſſimilis eſſe ſolet, nec à conſuetis, quibus dudum inclaruit, artibus ſibi hac ex parte diſcedendum eſſe è re ſuâ ducit. Interim dum ingenioſi & ſubtilis Critici famam laudeſque captat, quantum aut religionem Chriſtianam audacibus futilibuſque ſuis conjectationibus lædat, aut hæreticorum hujus ævi, qui improbâ perverſitate Chriſtianæ fidei myſteria ſub novæ illuminationis aut Criticæ ſubtilitatis præſidio peſſundare ſatagunt, partibus faveat, parum ſolicitus videtur. Ne verò nimium ſibi plaudat, quaſi hunc verſiculum, nunquam poſtea codici ſacro inſerendum, aut à quopiam pro defenſione veritatis Catholicæ allegandum, prorſus eliminaſſet, conjecturas, quas præſidenti animo contra illius αὐθεντίαν opponit, plane

planè incertas eſſe, & nulli fundamento inniti, neque per illas ſtare, quo minus verſiculus ille, ni omninò immodeſti eſſe velimus, integer, illæſus, immotuſque ſuo loco maneat, oſtendam.

De hoc textu apud Græcos aut hujus aut ſuperioris ævi nulla lis movebatur: illum enim in Lectionariis ſuis, & præcipuè in illâ collectione epiſtolarum novi Teſtamenti, ſeorſim aut ſcriptâ aut editâ, quæ nuncupatur Ἀπόστολος, quod omnes norunt, tanquam germanum & genuinum retinent, & in libris Didacticis & Catacheticis religionis Chriſtianæ inſtitutionibus de myſterio ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis diſſerentes, in ἀναντίῤῥητον illius dogmatis probationem ſubindè adhibent. Ita in nuperâ orthodoxâ Eccleſiæ Orientalis confeſſione. Ἀλλὰ μὴν ὁ πατὴρ ὢν ἦν θεὸς καὶ φύσει ἀληθὴς καὶ ἀϊδίως, καὶ πάντων ποιητὴς τῶν ὁρατῶν καὶ ἀοράτων, τοιοῦτος λοιπὸν εἶναι καὶ ὁ υἱὸς καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ ὦν ὁμόουσια ἀλλήλοις καὶ τὴν διδασκαλίαν τοῦ εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου, ὅπου λέγει, ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες Pag. 23.

ὧν

ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ (ἅγιον) πνεῦμα, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσιν. *Deus autem est naturâ verus, & æternus, & omnium conditor, visibilium & invisibilium, talis etiam est Filius & Spiritus S. sunt etiam ejusdem inter se essentiæ juxta doctrinam Joannis Evangelistæ, qui dicit, tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus S. & hi tres unum sunt.* Adeò ut vix putem quenquam apud universam istam gentem reperiendum esse, qui de istius loci suppositione vel minimum somniaverit. Non hoc autem in dubium vocarunt Erasmus, Socinus, Sandius, aut ipse D. Simonius, an aliqui codices manuscripti Græci & Latini olim exstiterint, adhucque exstent, apud quos textus ille in suâ integritate conservatur: quod ex editionibus Roberti Stephani, Lucæ Brugensis, aliorumque, qui in colligendis conferendisque multis calamo exaratis codicibus summam industriam & fidem adhibuerunt, supra demonstratum est. Sola controversia erit, utri codices, qui illum retinuerint aut qui illum omiserint

rint, ſint ſinceriores, & S. Joannis Autographo melius reſpondeant, cui dirimendæ ad antiquitatem iſtorum codicum, aut conſenſum Eccleſiæ & Scriptorum Catholicorum, qui in primis Eccleſiæ ſeculis floruere, confugiendum eſt.

Quod verò ad codices Manuſcriptos attinet, quorum ne optimus quidem ſuis nævis & erroribus omninò vacat; utpote cum literæ Authenticæ Apoſtolorum dudum perierint: neque ulla neceſſitas inerat, ut in perpetuum aut à caſu aut temporis edacitate inviolabiles, aut ſingulis apicibus integræ manerent, quod nemo tam pertinacis & duri ingenii eſt, quin ſponte conceſſurus ſit; hoc unicum præfari libet:

Omiſſiones, qualeſcunque ſint, quæ ubivis occurrunt, facile contingere potuiſſe, partim ex oſcitantiâ & negligentiâ Librariorum, & partim ex eorundem ignorantiâ & inſcitiâ: quod de additamentis neutiquam dici poſſit, cum ea conſultò & deditâ operâ fieri videantur. Quotuſquiſque enim eſt in hiſce ſtudiis paulo verſatus, qui

qui in codicibus Manuſcriptis hoc non experiatur? Quam ſæpe fit, ut Amanuenſis, licet cætera ſatis diligens & induſtrius, oculum de codice, quem exſcripturus eſt, tollens, in idem vocabulum quod ſpatio interpoſito iterum occurrit, ſine ulteriori examine incidat, à quo rectâ ſerie, ac ſi nulla facta fuiſſet omiſſio, cætera continuabuntur; deinde ab uno exemplari, aut caſu aut fraude mutilato, errorem in alia facilè poſſe propagari: præſertim ſi codex iſte aliquam antiquitatem præ ſe ferat, inde venerabilior redditus, à quo diſcedere religio erit. Ita ſanè veriſimile videtur, Librarium, poſtquam ſcripſiſſet ὁι μαρτυρῆντες, lineis, quæ interponebantur, præteritis, properante oculo tranſvolaſſe ad idem vocabulum, quod verſiculo ſequenti occurrit. Quo errore facilè admiſſo, verba ἐν τῇ γῇ, quæ in aliquibus codicibus deſunt, poſſe quoque ex conſilio omitti, ut omnia congruant, nemo diffitebitur: cum tamen, quod obſervatu digniſſimum eſt, multi codices, qui non habent verſiculum VII. iſta verba retinuerint, quæ teſtes

teſtes in cœlo ſuperiori verſu memoratos neceſſariò inferre videntur. Paralleliſmus enim eſt inter teſtes, tum in cœlo, tum in terrâ, & in numero, quod nempè utrique conveniant in ipſo actu teſtandi de Chriſto, non in omnibus aliis, & ſenſus è re ſubjectâ & ex diverſimodâ phraſi intelligendus eſt. Pater, Filius, & Spiritus S. teſtes ſunt ejuſdem rei & ἓν εἰσὶ *idem ſunt*, h. e. ſunt ejuſdem divinæ eſſentiæ: Spiritus, aqua, & ſanguis teſtes quoque ſunt, ſed εἰς τὸ ἓν εἰσὶ, h. e. licet non idem ſint eſſentiâ, uti teſtes in cœlo, tamen conveniunt ſimul in uno quoad teſtimonium, quod ad idem paritèr conſilium & propoſitum tendit. Lectio autem hæc εἰς τὸ ἓν εἰσὶ certiſſima eſt, & ſine vel minimâ variatione reperitur eadem in omnibus codicibus Græcis & in Syriacâ verſione.

In codicibus MSS. tam Græcis quam Latinis evolvendis nimiam & uſque ad nauſeam multi oſtentant curioſitatem, ac ſi de hoc verſu, cum illic non compareat, planè actum fuerit, cum ſi longè major exemplarium,

in

in quibus eſſet æque deſiderandus, ſuppeteret copia, vix ſine temeritatis notâ inferri potuiſſet, eundem olim & ab initio abfuiſſe. Fruſtra objicitur horum conſenſus, qui è vitiato codice oriri potuit, ad evertendam lectionem, quam contendimus eſſe veriorem & antiquiorem, cum pauci codices octingentis aut nongentis abhinc annis, pauciſſimi verò ante mille annos deſcriberentur. Ad antiquiora autem horum ſcriptione provocamus exemplaria, quibus uſi ſunt S. Cyprianus, S. Hieronymus, Epiſcopi Eccleſiæ Africanæ ſub Hunerico, Fulgentius, & Vigilius Tapſenſis, in quibus, ſi exſtitiſſet, modò nulli codices hoc tempore verſum hunc, quod nemo affirmaverit, cum contrarium ſit evictiſſimum, habuiſſent, de ἀυθεντίᾳ ejuſdem non erit multo laborandum.

Cypriani verba in epiſtolâ de unitate Eccleſiæ Catholicæ hæc ſunt, *Dicit Dominus, ego & Pater unum ſumus, & iterum de Patre & Filio & Spiritu ſancto, & hi tres unum ſunt :* quæ ipſius eſſe contra Sandium, vafri

fri ingenii è ſectâ Arianorum virum, invictis argumentis ſupra demonſtravi. Non reticebam, quid contra opponi potuerit, nempe poſteriorem verſiculi octavi clauſulam, prout occurrit in vulgato Latino codice, à Sanctiſſimo Martyre hic citari poſſe, & hoc modo Facundum Hermianenſem intellexiſſe. Cui objectioni, ut occurratur, præter ea ſuperius allata, quæ nondum attigit D. Simonius, dicimus

1. Verſum hunc in codicibus ante Facundum ſcriptis repertum fuiſſe, quod ex Victore Vitenſi & Fulgentio Ruſpenſi certiſſimè conſtat. Putabimuſne Eugenium Carthaginenſem, cæteroſque orthodoxos Eccleſiæ Africanæ Epiſcopos adeò deſipere potuiſſe, ut in illo libello Hunerici regis Ariani juſſu ſcripto anno 484, in quo fidei Catholicæ, cujus erant ad vincula & ſanguinem uſque retinentiſſimi, hunc textum diſertiſſimis verbis, ſola additâ *ſancti* appellatione, ſub nomine Joannis Evangeliſtæ adhibuiſſe vellent, ſi à codicibus ſacris tunc temporis abfuiſſet, vel ſi ante ſeculum unum aut

alterum de novo additus inſituſque fuiſſet. Quam facilè crimen illud falſi à ſedulis Adverſariis potuiſſet ipſis exprobrari? Quam malè audiiſſent, tanquam ſacrarum Scripturarum corruptores? Sane ſanctiſſimi illi Confeſſores de famâ ſuâ & de veritate Catholici dogmatis, quod ſuſceperint defendendum, melius ivere conſultum, nec iſtiuſmodi malis artibus utendo, ſibi infamiam & veritati Chriſtianæ præjudicium accerſere imprudentes & ultro voluêre. Non hoc autem eſt unius viri, ſed totius Africanæ Eccleſiæ teſtimonium, poſt examen ſedulum ſæpe ſæpiuſque recoctum, ut modeſtiæ charitatiſque Chriſtianæ expers eſſe videatur, qui flagitioſa hæc crimina hiſce venerandis & ſanctitate & doctrinâ conſpicuis Antiſtitibus, illo tempore horrendum in modum rabidâ Arianorum ſævitie oppreſſis, impingere audeat. Dum verò hunc textum adhibent hi Patres ad revincendam Pneumatomachorum hæreſin, & fidem Chriſtianorum de hoc dogmate probandam, mihi quidem videntur ratiocinari ad mentem S. Cypriani in

in epiſtolâ ad Jubaianum, *Si Spiritus ſanctus, cum tres unum ſint, quomodo Spiritus S. placatus ei eſſe poteſt, qui aut Patris aut Filii inimicus eſt?* qui iſthoc argumento & verſiculo in re eadem, quem in libello de unitate Eccleſiæ citaverit, uſus eſt.

2. Fulgentium non ſolum hunc textum bis, prout hodiè legitur, citaſſe, ſed etiam illum in codice Cyprianico exſtare videri credidiſſe. Cum enim in Patre, Filio, & Spiritu S. unitatem ſubſtantiæ ſine aliquâ perſonarum confuſione ex hoc textu ſtatuminaſſet, ſtatim addit, *quod etiam beatiſſimus Martyr Cyprianus in epiſtolâ de unitate Eccleſiæ confitetur*:--- ita ut juxta Fulgentii ſententiam ad hunc ipſum textum ab ipſo citatum Cyprianum quoque reſpexiſſe exiſtimandum ſit. Neutiquam ergo conſtat ex Facundo, qui mutilatum codicem aut ante oculos habebat, aut inconſulto aut codice ſacro, aut Cypriani libello, quem ex errore alieno nomine nuncupat, præ æſtu cogitationum & feſtinante calamo iſtud interpretamentum effudit, hunc verſum

ſum tempore Cypriani nondum innotuiſſe; cum Victor Vitenſis, qui iſti celeberrimæ confeſſioni ſubſcripſerat, & Fulgentius, illum antecedentes, ille ſexaginta plus minus annos, hic quadraginta, longè integrioribus codicibus uſi, iſtum, prout nos jam habemus, citaverint. Niſi igitur eò ſtoliditatis & inſaniæ Patres Africanos prolapſos eſſe, nullâ impellente neceſſitate, cum Scriptura novi Teſtamenti abundè ſatis teſtimoniorum ad evincendum iſtud myſterium ſuppeditet, ut ſeſe omnium ludibrio proſtituere velint, & argumenti, quod non doloſè aut ſophiſticè, ſed ſincerè & planè ex authoritate Scripturarum tractandum erat, immemores, omnem modeſtiæ curam bonamque mentem depoſuiſſe, & præ ſtupiditate quid affirmaverint non perpendiſſe ſentiamus, vix credibile videbitur, illos textum ſuppoſititium, nullius codicis antiqui auctoramento munitum, tanquam germanum & infallibilem proferre audere. Codices circum iſtud tempus variaſſe non negaverim, huicq; varietati referendum eſſe, quod multi

multi Scriptores illum omiſerint. Unde ergo iſta omiſſio primam traxerit originem, ex caſu an conſilio, paucis videamus.

S. Hieronymus, cui fraudes & impoſturæ hæreticorum non ignotæ erant, utpote quos hujus flagitii reos Patres, longè ante ipſum, imo ab omni ævo deprehendiſſent, mutilationem hanc perfidiæ & infidelitati quorundam Interpretum, quorum intererat hunc verſiculum è ſacris codicibus eradendum eſſe, pio defendendæ Catholicæ veritatis, quo flagrabat, zelo, animosè ſatis attribuit in præfatione in epiſtolas Canonicas, quam non attente legiſſe videtur D. Simonius: aliter lectionem inſulſam, quæ illius texturam & ſeriem turpitèr depravat, nobis non obtruſiſſet: in quâ nimirum pro *Patris Verbique ac Spiritûs teſtimonio*, prodigiosâ oſcitantiâ ſupponit, *Patris ubique ac Spiritûs*, quod etiam ex ipſius Gallicanâ verſione ultra patet, ubi fictitium illud, *ubique*, æque ac alterum illud *Verbique*, quod legendum erat, omittitur. Quantam verò tum in-

vidiam tum moleſtiam, hac lite contra hæreticos ſui temporis intentatâ, S. Hieronymus ſibi pepererit, quantaſcunque etiam à nuperis famæ ipſius inſidiatoribus injurias & opprobria ſuſtinuerit, tanquam falſarius & ſacrarum literarum corruptor & interpolator fuiſſet, ipſi tamen præfationem iſtam abrogare neutiquam auſi ſunt. Veruntamen illorum aut inſcitiam aut puſillanimitatem longè ſupergreſſus, nodum, quem ſolvere nequibat, diſſecat D. Simonius, & cum difficultas ex hac criminatione hæreticis impactâ orta, alitèr inſuperabilis videretur, ſi nimirum iſtius præfationis authoritas integra & illæſa manſerit, illam non S. Hieronymi ſed novitii cujuſdam compilatoris eſſe, pro inſigni, quâ ſuas proponit conjecturas, modeſtiâ ſtatuit. Interrogabo verò, unde hæc confidentia? non ſane ex diſſonantiâ ſtyli, quaſi à cæteris præfationibus eſſet diverſus: non ex aliquo argumento intrinſeco ab ipsâ præfatione petito, aut quaſi hæreticis ſacras Scripturas corrumpere prorſus inconſuetum eſſet. Melius

lius illorum artes norat D. Simonius; melius de probâ exiſtimatione & famâ veterum Patrum, qui hæreticos ejuſmodi corruptelarum ſubindè arguunt, longe ante tempora Hieronymi, uti ſpero, merebitur, quos, ſi ſapiat, pro calumniatoribus haberi vix ſuſtinebit. Quid ergo? fingit illum, qui omnes Bibliorum Latinorum libros in unum volumen collegerat, hunc alioſque prologos, qui apud S. Hieronymum non exſtitiſſent, ſub ipſius nomine compoſuiſſe, & quo ſuppoſitio hæc meliùs lateret, Euſtochii nomen inſeruiſſe. Quæ mera eſt & putida petitio principii, ac ſi olim tempore S. Hieronymi Scripturarum ſacrarum codices non in idem volumen ſimul fuiſſent collecti. Excogitatis hiſce ſtrophis, non Hieronymus ſed collector iſte, quiſquis fuerit, ignoti nominis, ignoti paritèr ævi, hujus fraudis poſtulandus eſt. Quod convitium eo minoris fieri fortaſſe credit D. Simonius, eo quod ignotum tenebrionem feriat. Sed ſi omnem fidem & probitatem decoxerit collector iſte, præfationes ſuas S.

Hieronymo ſuppoſuiſſe auſus, unde iſta religio, iſta timiditas, ut præfationes, quas aliquibus ſacræ Scripturæ libris præfigere omiſerat S. Hieronymus, non ſuppleverit?

In inſigni illo Caroli Calvi codice dicit D. Simonius Actis Apoſtolorum hæc verba præfigi, *præfatio Hieronymi:* at certum eſt S. Hieronymum peculiarem prologum in hunc librum non addidiſſe: Quam verò æquè facile eſſet huic Collectori præfationem, ſtylo plane Hieronymiano, quem adeò accuratè imitari norat, exaraſſe: à quo tamen crimine, neque ſanè alitèr credidiſſet, abhorruiſſe videtur, cum ex prologo galeato ipſiſſima S. Hieronymi verba ſine quapiam mutatione ibidem referat. Reverentia erga nomen & authoritatem S. Hieronymi cohibebat, quo minus ea quæ non ſcripſerit Hieronymus, ejus eſſe affirmaret. Multo minus veriſimile eſt Collectorem hunc anonymum, qui vice præfationis in Acta Apoſtolorum ipſa verba S. Hieronymi appoſuit, tam citò à priſtinis ſuis moribus recedentem, præfationem hanc de

de ſuo corebello fingere, & piis lectoribus ſub obtentu authoritatis Hieronymianæ fucum facere velle, cum in ſimili argumento, ubi deerat præfatio, quod æquè facile & neceſſarium videbatur, novam ad ſupplendum iſtum defectum non ſuppoſuiſſet. At contendit D. Simonius, nomen S. Hieronymi in omnibus exemplaribus huic præfationi præfixum non occurrere. Interrogo, an præfationibus, quarum ἀυθεντίαν nemo in controverſiam vocat, ejuſdem nomen ſemper præfixum ſit necne: quod aſſerere vix audebit, cum contrarium cuiquam codices Latinos vetuſtiores pervolutanti conſtet. Sufficit ſi in codicibus æquè vetuſtis legatur, pariter ac ſi cæteræ præfationes, quæ indubitatæ ſunt, ipſius nomine nullibi munirentur.

Porrò dicit D. Simonius hanc præfationem reperiri in codicibus MSS. qui ſexcentis annis non ſunt antiquiores: vafrè quidem; ac ſi rarò aut non omnino in codicibus ante ſeptingentos aut octingentos annos exaratis eſſet reperienda. Ipſe ſane fatetur eam,

eam, ſuppreſſo licet Hieronymi nomine, in pulcherrimis Caroli Calvi, qui regnare incepit circa annum Chriſti 875, Bibliis exſtare. De cæteris verò vetuſtioribus, qui mille annos & ultra ſuperant, quorum perpauci ullibi jam exſtant, non eſt, quod aliquis illis inconſultis quippiam temerè ſtatuat, ac ſi ipſi quoque hac ex parte defeciſſent. Concedatur, in multis codicibus longè poſt hæc tempora deſcriptis illam deſiderari: num verò cæteræ epiſtolæ S. Hieronymi præfigi ſolitæ in iiſdem codicibus exſtent necne, hoc ſane Lectorem celat D. Simonius; cum ex pari omiſſione in hujus aut illius præjudicium inde concludi potuiſſet.

At *in multis exemplaribus, quibus hic prologus præfigitur, in contextu penitus deeſt iſte verſiculus*, neque id negaverim. Hoc ſolum probat, aliquos è Librariis, qui, cum præfationes S. Hieronymi explicandis ſacrarum Scripturarum argumentis multum conducere, adque iſtorum temporum guſtum ſapere vidiſſent, eas

eas omiſſas noluêre, interim tamen religione teneri, ne aliter quam quod in codice mutilo, quod oculis obverſabatur, occurriſſet, exſcriberetur. Hinc illa poſteriorum codicum varietas ortum habuit: hinc error iſte propagabatur: hinc quoque accidebat, ut quidam ſuperſtitiosè timidi, ne quippiam textui ſacro, quod ab Exemplari licet mutilo, quod exſcribendum erat, abeſſet, inſereretur, margini ſeptimum verſum, in aliis exemplaribus exſtantem, curaverint apponendum, non quaſi ex margine tanquam ſcholium & explicatio verſiculi octavi in textum irreperet: quod ſomniat D. Simonius. Vix enim credo quenquam ſani ſincipitis ſeriò aſſerturum, hoc Scholium ſacrorum codicum ante mille annos, & longe ultra exaratorum marginibus additum obtinuiſſe. In codicibus autem, quibus uſi ſunt Victor Vitenſis, Fulgentius, & Vigilius Tapſenſis, hunc verſiculum exſtare integrum in continuâ ſacri contextûs ſerie ex ipſis ultra omnem dubitationem certiſſimum eſt.

Quod

Quod verò cenſet D. Simonius, abſurdum eſſe opinari, interpretem qualemcunque, aut Latinum aut Syrum, ex mutilato codice verſiones ſuas adornare voluiſſe, id ſanè ineptiſſimi cenſoris eſt, qui parum videt, quanta in iſtis temporibus exemplarium fuerit egeſtas. Quòd ſi dixerimus, Latinum interpretem codicem Alexandrinum, vel ſaltem ipſius geminum, cum inter utrumque tanta intercedat ſimilitudo & convenientia, coram oculis habuiſſe, neſcio, quid opponi poſſit, quod conjecturam deſtruat. Ita, cum in iiſdem additamentis, quæ cæteri codices non admittunt, mirè conveniant, identidem dicendum eſt, in iiſdem omiſſionibus paritèr quoque convenire. Codicem autem illum, perquam licet venerandæ antiquitatis, non vacare erroribus mihi illius folia ſæpè verſanti compertiſſimum eſt, quod neutiquam in ipſius præjudicium aut vituperium ceſſurum arbitror, cum hic honos ſolis authenticis & originalibus Apoſtolorum literis, non cuivis Apographo, debeatur.

Hanc

Hanc corruptelam ab hæreticis inuſtam fuiſſe codicibus ſacris ſupponit S. Hieronymi præfatio: quinam verò eſſent iſti hæretici, an ſequaces & diſcipuli ſive Arii, ſive Sabellii, ſive aliorum quorumcunque, non opus erit, ut inquiramus. Illos autem iſtiuſmodi fraudum architectos eſſe, & tanti criminis infamiâ apud orthodoxos primorum ſeculorum Scriptores laborare, quod toties diximus, notius eſt, quam ut operoſiore probatione egeat. Ebionis, Baſilidis, Marcionis, aliorumque hæreſiarcharum partes agat, ſi velit, D. Simonius: Ipſe equidem veri perquam ſimile eſſe, illos, qui ſub venerabili Evangeliſtarum nomine tot figmenta, inſomnia, & deliria ſupponere auſi fuerint, ſacros codices, quotquot in ſacrilegas illorum manus incidiſſent, iis præſertim locis, in quibus illorum veſania & perfidia confodiuntur, corrupiſſe, diſertiſſimis veterum teſtimoniis ſuffultus, non ſine juſtâ & laudabili pertinaciâ contendo.

IN

In ſecundam

S. Petri Apoſtoli

EPISTOLAM

COMMENTARIUS.

Commentarius in ſecundam S. Petri Apoſtoli Epiſtolam.

SAnctiſſimus Apoſtolus, mortem ſibi jam propius inſtare, ſive ſpiritu prophetico, ſive aliunde ex indiciis, quæ ubivis ſeſe obtulerint, certò præſcius, eo magis ſibi curæ eſſe duxit pro muneris Apoſtolici ratione, ut tum fidei tum ſaluti contribulium Judæorum, quos ad veri Meſſiæ Jeſu Chriſti agnitionem convertiſſet, novis monitis, iiſque acerrimis, iret proſpectum: utrâque nimirum poſt ejus obitum periclitaturâ, partim à ſtrage, quam Chriſtiano nomini infenſiſſimus Gentilium furor, neutiquam leniendus, intentaret, partim à præſtigiis fraudibuſque hæreticorum, quorum novaturienti ingenio æquè diſplicuerat ſimplicitas Evangelii, ac mundanarum voluptatum

tum cupiditatibus crucis cæterarumque, quas tantoperè horrent mortales, ærumnarum, iſto potiſſimum tempore neceſſariò ſubeundarum, perpeſſiones.

Facilè quidem animo prævidebat, quanto argumentorum apparatu & quantâ futuræ mercedis in cœlis percipiendæ ſpe eos inſtructum iri oporteret, hinc adverſus ejuſmodi machinationes, quibus continuò oppugnarentur, illinc adverſus diras vitæ calamitates, quibuſcum eſſet confligendum, ne ab illâ parte fides ſtrophis fallacibuſque verſutiis perverteretur, neve ab alterâ virtus tot ictibus exercita penitùs fateſceret; ideo eos ad fidem tum puro corde ac integrâ conſcientiâ retinendam, tum moribus ſanctiſſimis, quales Chriſtianæ religionis diſciplina poſtulat, ornandam, affectu planè paterno hortatus, de pſeudo-prophetis hiſce orituris, quo magis ab iiſdem caveretur, deque eorundem pernicie, quam neutiquam eluctabuntur, præmonet: inde ſibi factâ, non ſine ingenti zelo, diſſerendi copiâ de adventu Chriſti, in ipſius ac illorum hoſtes ſeverè animadverſuri,

madverſuri, deque illius certitudine, licet quandam moram pati ipſis, quos calamitatum ſenſus nimium tetigerat, uſque ad læſam animi æquitatem, videretur: quo nullum remedium aut præſentius aut magis ſalutare ad fidem & ſpem Chriſtianorum ſuffulciendam excogitari potuiſſet. Quam ſanctè autem & quam accuratè propoſitum hoc, quod mente præceperat, Apoſtolus proſequi perrexerit, fuſiori partium explicatione ſigillatim oſtendam.

CAP. I.

APoſtolus, præpoſito ipſius nomine, pro more, qui ab ultimâ antiquitate obtinuerat, ita epiſtolam ſuam orditur.

V. 1. Συμεὼν Πέτρος δοῦλος καὶ ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Simon Petrus Servus & Apoſtolus Jeſu Chriſti.* *Simon*

Exordium hoc, quod ὑπογραφὴν continet, cum in omnibus exemplaribus manuſcriptis, quantum quiſpiam viderit, aut fando audiverit, re-

periendum sit, ne unico quidem codice excepto, qui omittit aut variat ejusmodi lectionem, quam quoque exhibent antiquissimæ versiones; mirari subit, quid illustri Grotio, de literis sacris & prophanis omne genus aliàs optimè merito, in mentem venerit, ut hanc Epistolam Apostolo Petro abjudicet, contra tot seculorum fidem, contra Ecclesiæ Catholicæ authoritatem, contra denique unanimem omnium scriptorum consensum, ex quo in canonem recepta fuerit. Neque enim hujus epistolæ αὐθεντίᾳ aut fraudi aut præjudicio esse debet, quod de eâ à quibusdam olim dubitatum fuerit, aut quod inter canonicos novi Instrumenti libros simul & eodem tempore cum priori epistolâ non recenseretur: uti ex * Eusebio & † S. Hieronymo liquet. Sed

* Eusebius Historiæ Ecclesiast. lib. III. cap. 3.—— Τὴν δὲ φερομένην αὐτοῦ δευτέραν, οὐκ ἐνδιάθηκον μὲν εἶναι παρειλήμαμεν. ὅμως δὲ πόλλοις χρήσιμος φανεῖσα, μετὰ τῶν ἄλλων ἐσπουδάσθη γραφῶν. Et cap. 25. Τῶν δ' ἀντιλεγομένων, γνωρίμων δ' οὖν ὅμως τοῖς πολλοῖς ἡ λεγομένη Ἰακώβου φέρεται, ἡ Ἰούδα, ἥτε Πέτρου δευτέρα ἐπιστολὴ, καὶ ἡ ὀνομαζομένη δευτέρα καὶ τρίτη Ἰωάννου —— Et lib. VI. cap. 25. Πέτρος δὲ ---- μίαν ἐπιστολὴν ὁμολογουμένην καταλέλοιπεν· ἔστω δὲ καὶ δευτέραν, ἀμφιβάλλεται γάρ. † S. Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiast. in Petro: *Scripsit duas Epistolas, quæ Catholicæ nominantur, quarum secunda à plerisque esse negatur, propter styli cum priori discrepantiam.*

rejectâ

rejectâ hac quorundam dubitatione, utpote incertæ & malè fundatæ traditioni innixâ, mox ſeveriſſimo examine habito, ab univerſo Chriſtianorum cœtu Sancti Petri eſſe credebatur: quo nomine comparet in recenſione librorum canonicorum veteris & novi Teſtamenti canone ſexageſimo concilii Laodiceni, & apud S. Athanaſium, tam in ſynopſi S. Scripturæ, quam in fragmento epiſtolæ Heortaſticæ, ut de cæteris taceam, qui hanc epiſtolam ab Apoſtolo Petro ſcriptam ſine aliquali demum hæſitatione in ſacrum canonem receptam fuiſſe teſtantur. Miri ſunt cenſores, quorum Critica aſpernanda eſt, qui diſſimilitudinem ſtyli hic objiciunt, cum idem ſermonis character in utrâque epiſtolâ ubivis elucet: nec aſſignant phraſes, quibus diverſus iſte, quem fingunt, loquendi modus oſtendi poſſit. Quod ſi concederetur, diverſi Authoris eſſe inferre neutiquam licebit, eo quod pro variâ argumentorum tractandorum ratione ſtylus ſæpe ſoleat variari. Horum ſententiam D. Grotius verſatili ſuo ingenio

& novarum interpretationum cupidiſſimo revocaturus, ſuas opponit conjecturas, quæ tibicine parum firmo nituntur, ac ſi *poſt excidium Hieroſolymorum hæc epiſtola aut epiſtola huic ſubnexa, quæ facit caput tertium, conſcriberetur.* Quâ hypotheſi nihil infirmius magiſque falſum fingi poteſt, ac ſi non una eademque fuerit epiſtola ſed duplex, & non unicum ſed duos authores habuiſſet: capite tertio à duobus aliis, ac ſi planè diverſi argumenti, abſque vel minimâ veri ſpecie ſejuncto. Ita nimirum rem dare confectam & evictiſſimam opinatur, cum S. Petrus longè antea ſub Nerone Romæ mortem obiiſſet. De tempore verò, quo hanc ſcriptam eſſe vult, neminem ex antiquis aut Hiſtoricis aut Tractatoribus habet ſibi hac in re conſentientem: quod cum noverit, conjecturam conjecturâ æquè incertâ firmare nititur, *eo quod nemo Chriſtianus ultimum mundi diem venturum crediderit, niſi poſtquam eveniſſet everſio Judaici ſtatûs: poſt eam verò brevi admodum ſecuturam mundi ruinam, multorum animo obverſabatur.*

Hic

Hic vero Scriptor Chriſtianos vult patientes adhuc eſſe in illius diei exſpectatione, ſi fortè ſperato tardius adveniat: eſſe hoc ſignum magnæ Dei patientiæ, qui adhuc multos ex Judæis & gentibus ad ſe velit converti. Ubi rem, quâ de controvertitur, ex ſuavi figmenti hujus amore, ne quid gravius dicam, ſumit pro conceſsâ, ac ſi excidium iſtud Hieroſolymitanum dudum præteriiſſet. Nondum ſanè fatalis iſta hora, quæ Templo ejuſque cultui finem impoſitura eſſet, advenerat: nondum in Judæos Χριστόνους tum proprio tum liberorum ſanguine Chriſti ſanguinem luituros à Romanis militibus erat animadverſum. Si res hoc modo conſtitiſſent, neque Epiſtolæ ſcriptor tale conſilium adhibuiſſet, neque illi, ad quos ſcripſerat, tali habuiſſent opus. Fruſtra illos diem illum exſpectaſſe juſſerit, quem incepiſſe & jam imminere propriis oculis vidiſſent. Certo enim certius eſt, Chriſtianos iſtius ævi credidiſſe extremi judicii diem propè eſſe, ac univerſum mundum æque ac Hierolyma ad interitum ſimul vergere, omniumque

niumque ultima fata paritèr ac Judæorum inſtare. Unde opinio iſta irrepſerit in illorum mentes de ultimo omnium rerum interitu, quaſi illos jamjam eſſet occupaturus; cui etiam ſuccedentibus ſeculis Chriſtianos mordicus adhæſiſſe antiqui Scriptores teſtantur uſque ad tempora S. Cypriani, quod ex ejus opuſculis & epiſtolis abundè patet, ſi quæratur, dixerim, originem illius deberi magnificis iſtis Chriſti & Apoſtolorum locutionibus, quibus tum Hieroſolymorum tum totius orbis ruina portendebatur: illa durante iſto ſeculo ſive γενεᾷ, hoc eſt, ut vir ſummus D. Hammondus ὁ μακρόθυμος optimè interpretatur, poſt quadraginta annorum intervallum; hæc non niſi extremo die complenda: quorum utriuſque ruinam confuderunt, ac ſi eodem tempore eſſent obventuræ. Si ergo everſis Hieroſolymis pœnas luiſſent Judæi, hoc ſaltem divinæ indignationis illuſtre & planè admirandum exemplum Chriſtianorum, qui ex iſtâ horrendâ ſtrage ſalvi evaſerint, mentes quietas reddere poterat, ne

ne erumperent in bilem, quaſi Deus nimiæ tarditatis eſſet poſtulandus. Sed quid ſi S. Petrus de ſolo excidio Hieroſolymitano intelligendus ſit, quod doctiſſimo Hammondo placet, & vero propius videtur? unde conjectura Grotiana planè peſſum ibit & corruet. Cætera, quæ addit D. Grotius, longè magis incerta ſunt, quod Simon alter à Jacobo Hieroſolymorum epiſcopus, qui ſub Trajano crucifixus erat, Epiſtolæ author eſſe videtur. Quod per omne ævum hucuſque latuit, & planè incognitum erat, donec arcanum hoc tandem poſt mille ſexcentos annos D. Grotius revelaverit. Sed num ille, ut titulus præfert, *Apoſtolus Jeſu Chriſti?* num priorem epiſtolam, cujus authorem S. Petrum & eſſe & ab omnibus haberi teſtatiſſimum eſt, reſpectu cujus hæc *ſecunda* ab ipſo nuncupatur cap. III. 1. exaraſſe cenſendus eſt alter ille Simon? Num ille, quod verbis diſertiſſimis teſtatur Author Epiſt. 2. cap. I. v. 18. Chriſti gloriæ & transfigurationi in monte Tabor interfuit? de hâc enim illum loqui vox iſta de cœlo emiſſa, quam

quam audiverat, ultra omnem tum cavillandi tum dubitandi anſam clariſſimè oſtendit. Quam iniquè & nullâ prorſus ratione ad incertiſſimam novamque penitus hanc opinionem ſtatuminandam contendit Grotius, verba iſta ab aliquo addita eſſe, & ad aliam hiſtoriam referri, S. Joannis XII. 28. multis tum præſentibus & in mediis Hieroſolymis peractam, ut ex Evangeliſtâ patet, non in monte Moriâ, quaſi mons ille, ſecluſis cæteris locis ſacris, peculiari hoc Sanctitatis titulo eſſet inſigniendus, contra quam ſenſiſſet Eccleſia Catholica, contra quam ipſe quoque ſenſiſſet in annotationibus à ſe editis! Quo jure Symeon iſte Hieroſolymitanus S. Paulum titulo *Fratris* nuncupaſſe cenſebitur, ac ſi eodem Apoſtolatu cum illo fungeretur? denique, quempiam ex Apoſtolis, (quem verò niſi S. Petrum?) hanc epiſtolam ſcripſiſſe liquet è teſtimonio S. Judæ v. 17. ubi, verbis hujus Epiſtolæ ſine ullâ fere variatione citatis, monet eos *eſſe memores verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Quid

Quid ad hæc Grotius? fingit nimirum titulum malè habitum à Libraríis ita emendandum eſſe, Συμεὼν δοῦλος Ιησοῦ Χριστοῦ: ſed num aliquo vetuſto codice adjutus? minimè gentium: quem teſtem aut adſtipulatorem produxit? neminem: quaſi verba, quæ vellet omiſſa, adderentur ab iis, qui, ut ille parum conſideratè loquitur, quem alioqui admirabili ſolertiâ & judicio pollere nemo niſi invidus diffitebitur, *ſpectabiliorem & vendibiliorem voluerunt facere hanc Epiſtolam.* Quæ verba illi excidiſſe dolet pigetque, cujus famæ longè melius conſultum fuiſſet ab operis poſthumi editoribus, ſi ejuſmodi conjecturas, primo cogitationum æſtu è fœcundo cerebro extruſas, in lucem prodire non ſiviſſent.

Sed de Authore hujus epiſtolæ plus ſatis: qui in aliquibus codicibus, uti paſſim in Evangeliis, dicitur Σίμων, quod perinde eſt. Nomina enim Ebraica diverſimodè efferuntur & ſcribuntur Græcè. Idem etiam proprium nomen, ut id obitèr adnotem, in novo Teſtamento contractum & quaſi

ſi μείωσιν ſubinde reperire eſt, ut ferè in omnibus linguis aut compendii causâ, aut ὑποκορισικῶς ſive ſubblandiendo ſolet accidere, ut Menas pro Menodoro, Theudas pro Theodoſio, Metras pro Metrodoro, uti ab Oecumenio obſervatum eſt, & quod potiori jure addendum videtur, Demas pro Demophilo, Nymphas pro Nymphidoro, Epaphras pro Epaphrodito.

Τοῖς ἰσότιμον ἡμῖν λαχοῦσι πίστιν, *iis, qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem*; ut vulgatus Interpres reddit quoad ſenſum, ſed non elegantiam Græcæ locutionis videtur attigiſſe. Τὸ ἰσότιμος enim, cum de perſonis dicitur, cives aut magiſtratus denotat, qui idem jus ſuffragii habent, iiſdem privilegiis donantur, eadem inſignia honoris gerunt, & ex æquo à plebe coluntur: cum de rebus, quòd ſint ejuſdem pretii & valoris. Nihil interceſſerat diſcriminis inter Apoſtolorum cæterorumque Chriſtianorum fidem; illa æque valebat in omnibus, æquè pretioſa, nec pluris in illis quam his æſtimanda; ut licet cætera

quam

quam maximè diſſimiles, in hoc præclariſſimo chariſmate, quod tantum valet apud Deum, ſint paris ſortis & in eodem cenſu reponendi.

Ἐν δικαιοσύνῃ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *in juſtitiâ Dei noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti.* En apertiſſimum divinitatis Salvatoris noſtri teſtimonium. Neque enim aliter intelligenda ſunt verba, quam per Appoſitionem, ita ut planè reſpondeant * loco Paulino ad Titum, cap. II. 13. προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ: licet hoc neutiquam advertiſſe videntur Interpretes noſtri, qui legebant τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν, particulâ loco non ſuo poſitâ.

* *Ita optime urget hunc textum adverſus Neſtorianos Facundus Hermianenſis Epiſc. in defenſ. trium Capitulorum, lib.* I *cap.* I. *non procul ab initio.*

Per *juſtitiam* Chriſti, quatenus illa eſt, quâ apud Deum meruit, ut omnium credentium Salvator ſit futurus, & cujus gratiâ juſti coram Deo comparent, vel quatenus illa veritatem & inconcuſſam fidem promiſſorum ejus ſignificat, utroque modo fideles hanc beatiſſimam ſortem ac fidei prærogativam obtinent & adipiſcuntur.

2. Χριστὸς

2. Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη πληθυνθείη *gratia vobis & pax adimpleatur.* Formula ſalutandi, quæ omnes Græcorum blanditias longè exſuperat. Quid enim optabilius aut expetendum magis, quam multiplici Dei gratiâ, quæ eſt ipſa beatitudo, perfundi, & pacem, *non qualem mundus dat*, ut Chriſtus ipſe diſtinguit, ſed apud Deum, apud ſe habere? Sine quâ cætera vitæ beneficia, quæ in fœcundo pacis ſinu placidiſſimo conſortio foventur, puta rerum copia, tranquillitas, ab omni hoſtili impetu ſecuritas, bona valetudo, & ſi quid charius ſit, in ſe aliquid amari habent, quod angat. Mos iſte ſalutandi apud Judæos in familiari & quotidiano uſu, & qui etiamnum per totum Orientem in ore omnium increbreſcit, à Chriſto in longè diviniorem ſenſum traductus, merito fit, cum additamento *gratiæ* ſive favoris divini, Apoſtolici tum ſermonis tum charitatis character.

Ἐν ἐπιγνώσει τοῦ Θεοῦ καὶ Ἰησοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν *in agnitione Dei & Jeſu Domini noſtri:* hoc eſt, διὰ τῆς ἐπιγνώσεως, ut in verſu ſequente. Ἐπίγνωσις autem

autem peculiarem illum cognoſcendi modum ſignificat, qui aut certâ demonſtratione aut experientiâ conſtat. In hunc præcipuè finem gratia & pax Dei in vos magis magiſque effundatur, ut Deum & Chriſtum non profeſſione ſolâ, ſed experiundo & firmiſſimo mentis aſſenſu cognoſcatis.

Ὡς πάντα ἡμῖν τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν δεδωρημένης: *quomodo omnia nobis divinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam & pietatem, donata ſunt.* Ita Vulgatus, cum quo conſentit Syrus, quaſi πάντα τῆς θείας δυνάμεως in conſtructione ſimul jungerentur, & Latinus ſuo codice legiſſet δεδωρημένα; (quod apud idoneos Græcos ſcriptores interdum paſſivè occurrit, uti etiam verſu ſequente δεδόξηται) ad hunc ſenſum, quicquid divinæ virtutis Chriſto ineſt, quod pietati procurandæ in hoc ſeculo, aut vitæ meliori in altero conducat, totum id gratuitò exeruit & nobis donavit. Demus verò Bezæ lectionem eſſe vitioſam, licet non tantæ abſurditatis, uti ille criminatur: neque enim è Romanenſibus paulò modeſtiores

donata eſt.

deſtiores aut illum Interpretem ab omni hallucinatione, aut hodiernum codicem ab omni mendo excuſabunt. Sed ad veram lectionem redeo. De Chriſto procedit oratio, ut jam oſtendat Apoſtolus, illum, qui poteſt omnia, largâ & beneficâ manu in ſuos cultores effudiſſe quicquid aut ad vitam aut ad pietatem conferat; nihil illis defore, quo minus in hâc & alterâ vitâ ſint felices; gratiam ſalutiferam omnibus adeſſe, qui oblatam nolunt reſpuere; id divinæ benevolentiæ acceptum referendum eſſe, quod vivimus, quod ſumus Chriſtiani & εὐσεβεῖς, quod ſpem vitæ æternæ in animabus noſtris alimus; quam ſi quiſpiam Chriſtianorum non aſſequatur, id ſibi ſoli imputandum, non divinæ bonitati & potentiæ, quæ omnia ſuppeditat, quibus habemus opus πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν. Hæc enim adipiſcendæ ſalutis & gratiæ media in Evangelio patent

Διὰ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς *per cognitionem ejus qui vocavit nos*, nemine illorum, qui illum agnoſcunt & verâ fide amplectuntur, excluſo;

excluſo; nemine, qui illius vocem audiunt & voluntati obſequuntur. Ille nos vocavit ad redintegrationem noſtræ conditionis atque ad æternam in cœlis felicitatem

διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς *gloriâ & virtute*, vel ut perquam venerabilis ille codex Alexandrinus habet, ἰδίᾳ δόξῃ καὶ ἀρετῇ *propriâ gloriâ & virtute*: quem, ut ſæpiſſimè alicubi, ſequitur vulgatus Interpres, hic loci à Bezâ malè reprehenſus, & etiam Syrus: & verior quidem hæc lectio videtur; eo quod licet altera eundem fundat ſenſum, hæc rem magis exertè exprimat hoc modo: Chriſtus ἰδίᾳ δόξῃ *ſuâ gloriâ*, ſive ea ſit majeſtas, quæ ſingulas vitæ ejus actiones comitata eſt, 1. S. Joan. 14. ſive peculiaris ille honor poſt baptiſmum, aut in ipsâ transfiguratione ipſi collatus, quo filius Dei eſſe hiſce præclariſſimis indiciis dignoſceretur, & ἀρετῇ conſummatiſſimæ virtutis exemplo, vitæque innocentiſſimæ, ab omnibus Chriſtianis maximè imitandæ, meritis, vel potius potentiâ, 1. S. Petr. 11. 9. & miraculis, quæ ubivis exeruit, hiſce efficaciſſimis

ficaciſſimis inſtrumentis nos ad fidem Evangelii vocavit. Neque enim audiendus eſt Beza, qui verba malè reddens *ad gloriam & virtutem*, de futurâ gloriâ & ſanctimoniâ, ad quas vocamur, mavult interpretari.

V. 4. Δι' ὧν τὰ μέγιστα ἡμῖν καὶ τίμια ἐπαγγέλματα δεδώρηται *per quem maxima & pretioſa promiſſa nobis donavit:* vel potius, ut alii codices rectius legunt, *per quæ.*

Δι' ὧν, i. e. δόξης καὶ ἀρετῆς, gratiâ hujus admirandæ gloriæ & poteſtatis Chriſtus jus & facultatem Evangelium ab ipſo revelatum magnificis promiſſionibus ſanciendi acquiſivit. Hac ex parte, uti in cæteris, religio Chriſtiana omnibus inſtitutionibus aut naturæ aut Philoſophorum aut ipſius Moſis meritò anteponenda eſt, quod nobilioribus promiſſis ſancitur. Cætera quam ſordent, quam nihili ſunt, ſi cum his maximis & pretioſis promiſſis conferantur! Quid rerum, quæ inter fruendum pereunt, copia? quid victoria, pax, ſalubre cœlum, aliaque hujus vitæ beneficia, quibus Judæorum mentes in obſequium devinxit Moſes?

Moſes? neque enim aut melius ſapuit, aut ad altius aſpiravit humile & fœculentum illorum maximâ ex parte ingenium. Non quod de alterius vitæ ſtatu ipſis non conſtaret, (omnis enim religio hoc fundamento nititur) neque quod ſanctiores inter ipſos animæ ad cœleſtem gloriam non anhelaverint, ſed illorum tardis perverſiſque ingeniis à Deo indultum erat, ut legum inſtitutarum obſervatio ejuſmodi beneficiis cumularetur. Jam ad æternitatem beatæ vitæ recta per Chriſtum patet via, ſuo ſignata ſanguine: adyta cœlorum reſerantur, quo quiſque pertingat, ſi Salvatoris veſtigiis velit inſiſtere. Promiſſa hæc vel Deo digna ſunt, quibus nullum argumentum aut ſuavius aut potentius eſt apud mentes futuri providas, & quæ non planè obbrutuerint. Verum non eo fine dantur hæc quantivis pretii promiſſa, ut inerti eorundem contemplatione nos ipſos oblectemus; hæc enim ſunt hominum otioſorum & leviſſimi ingenii inſomnia, ſed

Ἵνα διὰ τούτων γένωνται θείας κοινωνοὶ

hæt. φύσεως, *ut per hoc divinæ efficiamini conſortes naturæ.* Φύσις, quod nemo ignorat, non ſemper naturam & eſſentiam rei ſignificat, ſed quandoque proprietates, quæ ex eâ emanant, qualeſcunque ſint. Dei natura non eſt creaturis communicabilis; hoc ſenſu, ſoli Filius & Spiritus ſanctus ſunt τῆς θείας κοινωνοὶ φύσεως, i.e. ὁμοούσιοι. Chriſtianos verò hiſce glorioſiſſimis promiſſis allectos imitari oportet Deum, ejuſque bonitatem, ſanctitatem, miſerecordiam, & ſi quæ perfectiones ſint nobis attingendæ, omni curâ, quantum vitæ humanæ imbecillitas permittit, exprimere. Nec alio illuſtriori documento nos divinæ naturæ participes eſſe demonſtramus, quam ἀποφυγόντες τῆς ἐν κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾶς *fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.* Φθορὰ propriè malos impuroſque mores, quibus vita corrumpitur, ſignificat. Hæc verò corruptio & labes maximè conſtat ἐν ἐπιθυμίᾳ ſive effræni cupiditate, quam ex naturæ lapſæ vitio circumferimus, & ex quâ alitur. Vox iſta apud Scriptores Ethnicos cognitiſſima,

tiſſima, *corrumpere & corrumpi ſeculum vocatur.* Omnis impuritas à Chriſtiano evitanda eſt, utpote quæ Deum ab ipſius animâ excludit: neque enim illic, ut monet Sapiens, reſidebit. Vis autem Chriſtianæ religionis cœleſtibus hiſce promiſſionibus fultæ in eo maximè apparet, ut affectus effrænatos, ne in turpem licentiam evagentur, cohibeat; & ut hâc armati, concupiſcentias, quibus mundus corrumpitur, & ad quas naturâ & temperie, non minus quam cæteri, proclives ſunt, ſubdant. Hæc eſt vita verè cœleſtis, verè divina: ſi aliter faciatis, promiſſis hiſce magnis momentoſiſque abutimini, h.e. ſi ad vitam turpem & ſecularem priſtinumque vivendi morem redeatis. Ab hujuſmodi enim ſordibus & inquinamentis omninò abſtinendum eſt, utpote quæ omnem cœleſtis vitæ à Chriſto promiſſæ ſpem tollunt. Quid vero præterea faciendum velit Apoſtolus, tribus proximis verſiculis monet.

V. 5. Καὶ αὐτὸ τοῦτο δὲ σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες, *ut hoc ipſum*, vel εἰς αὐτὸ τοῦτο, prout placet Oecumenio,

vel potius καὶ αὐτοὶ δὲ σπεύδων---ut membranæ Ægyptiæ habent ; Vulgatus, *vos autem curam omnem subinferentes, ministrate*, ἐπιχορηγήσατε, h.e. ut superaddatis vel novo choragio submini-stretis ἐν τῇ πίστει ὑμῶν, h e. τῇ πίστει ὑμῶν fidei vestræ, quod de sequentibus dicendum est, sive professioni vestræ Christianæ, quâ in Christum creditis, τὴν ἀρετὴν sive *constantiam* virilesque animos in eâ fortitèr retinendâ : ἐν δὲ τῇ ἀρετῇ τὴν γνῶσιν *constantiæ* & fortitudini sanam sacrarum Scripturarum & veritatis Evangelicæ intelligentiam, ne à novitatibus hæreticorum contra doctrinam Apostolicam abripiamini.

V. 6. ἐν δὲ τῇ γνώσει τὴν ἐγκράτειαν huic cognitioni *temperantiam* ab omni immunditie, ab omni luxu, ab omni excessu, & ab omni immoderato licitorum usu : ἐν δὲ τῇ ἐγκρατείᾳ τὴν ὑπομονὴν, *temperantiæ patientiam* & æquitatem animi, ut placidâ mente qualescunque vitæ vicissitudines feratis, sine æstu, sine querelis, nec in Deum, neque in vestram professionem, quasi ille nimium durus, & illa quoque dura nimium, indignemini : ἐν δὲ

δὲ τῇ ὑπομονῇ εὐσέβειαν *patientiæ pietatem*, ſeu verum in Deum religionis & ſacri cultus ſenſum.

V. 7. ἐν δὲ τῇ εὐσεβείᾳ τὴν φιλαδελφίαν pietati erga Chriſtianos, vobis ejuſdem fidei vinculo pluſquam fraterno conjunctiſſimos, *charitatem*, quæ eſt optimum pietatis veſtræ indicium; denique ἐν δὲ τῇ φιλαδελφίᾳ τὴν ἀγάπην fraternæ charitati *erga omnes amorem*, etiam erga hoſtes, à quibus tot dira mala patimini.

Nihil vos adjuvabit fides veſtra, niſi hac ὑπηρεσίᾳ ſive ſatellitio virtutum ſtipata & ornata prodeat.

V. 8. Ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα καὶ πλεονάζοντα, *hæc enim ſi vobiſcum aſſint & abundent*: Ita optimè conſonat vulgatus Interpres cum codice Alexandrino, quo legitur ταῦτα γὰρ ὑμῖν παρόντα. Ubicunque hæc prælaudatæ virtutes fidei quaſi magiſtræ aſſiſtendo ancillantur, potiſſimum verò ſi paulo intenſiori gradu & copioſiùs emineant, hiſce imbutos οὐκ ἀργοὺς οὐδὲ ἀκάρπους καθίστησιν *non vacuos nec ſine fructu vos conſtituent*, h. e. neque turpi otio torpeſcere, neque infrugiferarum

vobis quum adſint.

rum inſtar arborum, quæ ſpecioſa ſolummodò protrudunt folia, ſterileſcere ſinunt, εἰς τὴν τῦ Κυρίυ ἡμῶν Ἰησῦ Χριςῦ ἐπίγνωσιν pro ἐν τῇ ἐπιγνώσει, *in cognitione domini noſtri Jeſu Chriſti.* Abſq; harum virtutum praxi & copiâ, profeſſio Chriſti, quam præ vobis fertis, nec vobis nec aliis utilis futura eſt. Vita enim Chriſtiana in actione & aliis benefaciendi ſtudio conſiſtit.

V. 9. ᾧ γὰρ μὴ πάρεςι ταῦτα, τυφλὸς ἐςὶ, μυωπάζων, λήθην λαβὼν τῦ καθαρισμῦ τῶν πάλαι αὐτῦ ἁμαρτιῶν. *Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum.* Qui alitèr fecerit, & de vitâ rectè inſtituendâ minimè ſolicitus eſt, rem maximè in ſe claram non videt, & facultate illuminatrice planè deſtituitur, menti obductâ ſpiſſâ caligine quâ offuſcatur, ut nihil veri intueri poſſit, vel ſaltem ſi oculi inductâ cæcitate non penitus effodiantur, hebeſcunt quam maximè; μυωπάζων luſcitioſus eſt. Ita μύωπα interpretatur Gellius, noct. Atticarum lib. IV. cap. 2. *Luſcitioſus ſive luſcioſus, ut Atteius Philologus expli-*

explicat apud Feſtum, eſt, qui propter oculorum vitium parum videt: vel ſaltem quod paulò remotius eſt, non videt. Μυωπάζειν dicuntur ab Ariſtotele apud Budæum, ὅτι οὐκ γειτόνως τὰ μὲν ἐγγὺς βλέπουσιν, τὰ δὲ ἐξ ἀποστάσεως οὐχ ὁρῶντες. Vulgatus, *manu tentans*, uti ſolent cæci, aut qui in tenebris ambulant, palpando & ſuſpenſo gradu euntes. Apoſtolus ergo hâc figuratâ locutione innuit, ejuſmodi Chriſtianos parum ſano & claro judicio valere, nec quid futurum ſit perpendere, quibus probi & ſancti mores curæ non ſunt: eoſque omninò obliviſci ſtatuit, ſe à ſordibus anteactæ vitæ ſalutaribus aquis baptiſmi (hæc enim eſt vera τῆς καθαρσίου ſignificatio) mundatos fuiſſe, quaſi hâc de causâ purgarentur, ſive fierent Chriſtiani, ut ſub novâ hac Chriſtianæ religionis profeſſione evaderent ſordidiores. Quod Chriſtianæ inſtitutioni quam maximè repugnat.

V. 10. Διὸ μᾶλλον, ἀδελφοὶ, σπουδάζετε βεβαίαν ὑμῶν τὴν κλῆσιν καὶ ἐκλογὴν ποιεῖσθαι, *quapropter, Fratres, magis ſatagite, ut certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Cavete potius,

us, ſi ſapitis, ne ſuavi hoc errore de-luſi, miſerè pereatis. Spes veſtræ abibunt inanes, nec quicquam vobis proderit profeſſio Chriſtiana, niſi firmetur & βεβαία ſive rata habeatur διὰ τῶν καλῶν ὑμῶν ἔργων *per bona opera*, ut in texta habet codex Alexandrinus, quem ἀυτολεξεὶ ſequuntur vulgatus Latinus & Syrus. Non alitèr conſtabit vos eſſe verè Chriſtianos, aut κλῆσιν vocationem veſtram, (non παρακλησιν, ut Ægyptii Scribæ erravit feſtina manus) h. e. Chriſti per baptiſmum profeſſionem, aut ἐκλογὴν ſive coaptationem veſtri ab inſtitutis Moſaicis aut à ſuperſtitionibus Gentilium in Chriſtianorum cœtum fixam certamque fore, aut à Deo deſtinatum eventum conſequi. Sequitur enim

Ταῦτα γὰρ ποιοῦντες οὐ μὴ πταίσητέ ποτε, *hæc enim facientes, non peccabitis aliquando:* potius reddendum erat, *non impingetis*, nimirum in Chriſtianam religionem, perfectiſſimam & ſanctiſſimam vivendi normam; vel *non excidetis* à ſpe veſtrâ: jubeo vos eſſe de ſalute obtinendâ ſecuriſſimos. Quam interpretationem ad mentem Apoſtoli maximè

maximè facere, è verbis immediatè ſequentibus ſatis evidenter liquet.

V. 11. οὕτω γὰρ πλουσίως ἐπιχορηγηθήσεται ὑμῖν ἡ εἴσοδος εἰς τὴν αἰώνιον βασιλείαν τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Sic enim abundantèr miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti*, πλουσίως, i. e. ἀφθόνως ſive largâ & munificâ manu, copiosè, &, ut D. Grotius optimè interpretatur per metonymiam, *cum promptiſſimo Dei affectu*. Hoc modo, Deo gratioſè & largitèr favente, in cœlis cum Chriſto regnabitis & æternæ gloriæ eritis compotes.

V. 12. Διὸ οὐκ ἀμελήσω ὑμᾶς ἀεὶ ὑπομιμνήσκειν περὶ τούτων *propter ea non negligam vos ſemper commonere de his:* Vulgatus Interpres, *propter quod incipiam vos ſemper commonere de his:* ac ſi legiſſet διὸ ἄρξομαι: uti quoq; habet codex Alexandrinus non prorsùs abſurdè, ut carpit Beza, qui in illum Interpretem injuſtiſſimis de cauſis ſæpenumero invehitur; quaſi nihil aut ſeculi, quo Latini ſermonis puritas defecerat, moribus, aut lectionum varietati aut librariorum oſcitantiæ & erroribus, qui paſſim ſcatent,

ſcatent, & præ nimio ſuperſtitionis affectu etiamnum retinentur, eſſet concedendum: ſenſu non diſpari, propterea vos quaſi de novo incipiam commonere, vel futuro tempore, vos denuo commonebo.

Καίπερ εἰδότας καὶ ἐστηριγμένους ἐν τῇ παρούσῃ ἀληθείᾳ *& quidem ſcientes & confirmatos vos in præſenti veritate.* Apoſtolus apertè profitetur ſe nota loqui, ac eadem repetere, quæ toties monuerat, & quæ ipſi optimè quidem norant, utpote in veritate Evangelicâ magis magiſque firmati. Hiſce enim conditionibus quilibet Chriſtianus nomen ſuum Chriſto dat, ut inſtitutis novæ legis pareat, & in ſpem reſurrectionis baptizatur. Hæc ſunt rudimenta Chriſtianæ pietatis, quæ ne neophytos quidem latere poſſunt. Apoſtolus tamen tum illorum tum ſui ipſius multum intereſſe putat, ut de hiſce rebus illos perpetuò moneat.

V. 13. Δίκαιον δὲ ἡγοῦμαι, ἐφ' ὅσον εἰμὶ ἐν τούτῳ τῷ σκηνώματι, διεγείρειν ὑμᾶς ἐν ὑπομνήσει. *Juſtum autem arbitror, quamdiu ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos in commonitione.* Suarum

rum partium ſuique officii eſſe ducit, ut per integram vitam importuni monitoris vice fungatur, quaſi nihil pro ratione miniſterii ſacri aut ſibi decentius aut illis utilius fieri potuiſſet. Hoc vero quam ſanctè, quam prudentèr factum, cuivis facile & promptum eſt perſpicere. Torpidi ſumus & ad dormitandum proni; hac clarâ voce excitamur, & crebris monitionibus alacriores reddimur: mementote vos eſſe Chriſtianos; quid inter baptizandum ſpoſpondiſtis, inque vos agendum recepiſtis; quid in vitâ alterâ exſpectandum profeſſi eſtis: quam malè conveniunt impuri mores cum tali profeſſione & cum tali ſpe.

V. 14. Εἰδὼς ὅτι ταχινὴ ἔξιν ἡ ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματός μου *certus, quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei.* Σκήνωμα hic & in ſuperiori verſiculo, uti τὸ σκῆνος apud S. Paulum 2. Epiſt. ad Corinth. V. cap. v. 1. & v. 4. & * authorem libri Sapientiæ, phraſi apud Judæos, quos ſequi pla- * Sapient. cap. IX. 15.

Φθαρτὸν σῶμα βαρύνει ψυχὴν, καὶ βεβιθύει τὸ γεῶδες σκῆνος τὸν πολυφρόντιδα. In paſſione Bonifatii editâ à D. Bigotio, ἔδοξεν αὐτοῖς τὸ σκήνωμα αὐτοῦ κάμινον, p. 322.

cuit

cuit Apostolis, vulgatissimâ, pro corpore humano, quatenus animæ contradistinguitur, singulis momentis morti obnoxio, sumendum nemo non facilè videt. Analogiâ satis aptâ & concinnâ. Tabernacula enim, quæ erigenda curant, quotquot per inhospita loca solent peregrinari, ut à siderationibus, frigore, pluviâ, ventis, cæterisque incommodis, quæ noctu sub dio incautius jacentes non rarò opprimunt, sese tueantur, vel si in planitie campestri procul ab urbibus per plures dies morari contingat, tum rusticationis & rei pecuariæ, tum belli causâ, habeant quo se reponant, à conspectu sui invicem discreti, ideo mobilia sunt, ut si occasio tulerit, sine labore & impensâ aliundè transferri possint; eademque funiculis extensâ decoræ satis & commodæ habitationis vices supplent, ac tandem partibus, è quibus constant, simul convolutis, in rudem molem confunduntur. Quod caducam corporis nostri, quo anima hospitatur, varias vitæ ætates tanquam tot itinerum intervalla emetiens, usque dum ad cognatum cœlum

cœlum redeat, naturam ſatis clarè exprimit. Non enim diu hic conſiſtendum eſt: quotidiè quaſi morimur: corpora in ſe ſemina ſuæ fragilitatis alunt, ut ſi nulla ægritudo aut triſtior caſus, quibus acceleratur morte immatura, interveniant, (quod millenis contingere videmus, interim ſecuri, nec quoquo modo præ funerum frequentiâ ſoliciti) tandem ſenio confecta concidunt, & in cinerum acervos reſolvuntur. Ita rectè S. Petrus, peregrinus, ſi quis unquam, in terrâ, quam eremum reperit, ubicunque perveniſſet, non aliam rationem corporis, quod ſecum geſſit, quam tentorii habuit, quod, animâ ad cœlum aſpirante & jamjam avolaturâ, facilè quidem & cum gaudio depoſiturus erat, ipſo nimirum Chriſto revelante, uti ille refert.

Καθὼς καὶ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐδήλωσέ μοι, *ſecundum quod & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi.* An hoc S. Petro de morte brevi ſecuturâ de cœlis denuntiatum fuerit, omninò incertum eſt: nec opus erit, ut novam revelationem eâ de re factam fingamus:

fingamus: cum planè alluſum eſſe videatur ad Chriſti verba, quæ de illo habuit poſt reſurrectionem. S Joannis XXI. 18. *cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis.* Facile jam erat Petro, ad ſenium vergenti, verborum Chriſti, perinde ac ſi fuiſſent de novo & paucos ante dies prolata, meminiſſe, ſi efferi idololatræ, depoſitâ quaſi rabie & emollitis tandem animis, mortem quotidiè non intentaſſent. Videbat autem Vir ſanctiſſimus, & ſiccis quidem oculis, & vultu placido, & animo imperterrito, quam infenſiſſimi eſſent & inexorabiles; quantas inſidias vitæ ipſius ſtruxerint; quantâ cum rabie religionem Chriſtianam, quæ cum illorum nefandis ſpurciſſimiſque ſuperſtitionibus malè conveniebat, ferro & igni omnique tormentorum apparatu iverint exſtinctum; Neronem ab omni humanitatis ſpecie alieniſſimum, de coriis Chriſtianorum in amphitheatris ludere, novo & gratiſſimo hoc ſpectaculo oblectantem oculos; Senatores, plebem, Sacerdotes, cæteroſque impii

pii cultûs miniſtros ex cæco amore patriorum numinum efferatos; pœnam capitalem legibus & edictis conſtitutam; ſe maximè quæſitum, ut in ipſo læſa numina ulciſcerentur, nec præ illorum adpoſtulatione ſedulos lictores & carnifices evaſurum. Hiſce indiciis monitus, de Chriſti verbis jamjam adimplendis, & de martyrio proximè imminente ſatis ſecurus erat; de hac unicâ re tantum ſolicitus, ne, antequam ſcripſiſſet epiſtolam, deprehenderetur, in Capitolium rapiendus. Quod enim Romæ vitam glorioſo certamine finiiſſet, cum ſit è vetuſtiſſimorum Scriptorum fide teſtatiſſimum, crucifixus & capite deorſum inverſo, non poſſum ſatis mirari quoſdam leviculis ſuſpicionibus frivoliſque objectiunculis motos, cum ne hilum Romanenſibus proficiat, modò hoc concederetur, id in dubium vocaſſe.

V. 15. Σπουδάζω δὲ καὶ ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἔξοδον τὴν τούτων μνήμην ποιεῖσθαι, *dabo autem operam, & frequentèr habere vos poſt obitum meum, ut horum omnium memoriam faciatis.*

Ἔχειν pro δύνασθαι in N. Instrumento passim, & apud Atticos Scriptores, uti *habere* pro posse apud optimos Latinitatis magistros: quod parum intellexit Syrus Interpres. Quidam maleferiati homines olim, trajecto hoc naturali verborum, quasi ὑπέρβατον paterentur, ordine, ut observat Græcus Scholiastes, ita legebant, σπουδάζω δὲ κατὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον ἔχειν ὑμᾶς ἑκάστοτε---quasi hic loci voluisset Apostolus, se etiam post ipsius mortem impendio curaturum, ne hæc monita toties inculcata, dum in vivis esset, animo unquam exciderint; indeque pro fatuitate suâ extundunt, ὅτι καὶ μετὰ θανάτου οἱ ἅγιοι μέμνηνται τῶν τῇδε καὶ πρεσβεύουσιν ὑπὲρ τῶν ζώντων *quod sancti vitâ functi rerum, quæ hic aguntur, memores sint, & pro viventibus intercedant.* Quicquid verò de intercessionibus sanctorum in genere statuendum fuerit, neque jam id disquiro, id neutiquam Apostolo in mentem hic venisse è totâ epistolæ contexturâ liquet quam quod maximè: nec aliud innuit, quam sibi omni studio contendendum esse, ut, illi, post-

poſtquam ipſe ex hâc vitâ diſceſſerit, harum rerum neceſſariarum, nimirum ut fides integra & bonis operibus ornata conſtet, memoriam ἐχάστοτε, h. e. διηνεκῶς perpetuo & indeſinenter, toto vitæ curriculo apud ſe retineant. Quod fecit hactenus, ſe continuò facturum ſpondet, ne, vel ipſo mortuo, hæc monita quoquo modo effluere patiantur. Ita ſecuritati illorum quam maximè conſultum cupiebat Apoſtolus, ut ſit ſtupiditatis pluſquam belluinæ eorum unquam obliviſci, quæ memoriæ, ut ut parum tenaci, tot importunis precibus infigenda curaverit.

V. 16. οὐ γὰρ σεσοφισμένοις μύθοις ἐξακολουθήσαντες *non enim indoctas fabulas ſecuti.* *doctas.*

Μῦθοι σεσοφισμένοι ſunt fabulæ & orationes ejuſmodi, quibus utuntur Sophiſtæ, ut ſecuriùs fallant, arte quadam & ſpecie veri & σοφίας ſive ſapientiæ confictæ & compoſitæ, & eo fini ſubdolè elaboratæ, ne fraudulentum iſtud propoſitum, quod latet, deprehenderetur. Ita quidam è Philoſophis famæ & honori velificantes, abſurda ſua dogmata, quæ quivis vel

mediocris ingenii, ſi nudè proponerentur, facilè rejeciſſet, artificioſis ſubtilitatibus incruſtârunt: ita Hæretici, qui γνῶσιν ſeu ſcientiam cœlitùs ſibi illapſam præ ſe tulerint, fabulas planè ſophiſticas concinnârunt, novaſque revelationes venditantes, diſcipulorum aures verbis affabrè confictis demulſerunt: cujuſmodi erant Gnoſticorum impiæ fabulæ ſub venerabili γνώσεως titulo obtruſæ, Baſilidis & Valentini ζυζυγίαι ſeu *conjugationes Æonum*, puta βύθος, σιγὴ, πλήρωμα &c. aliorumque una cum ogdoade, decade, & dodecade, ex variâ eorundem combinatione ortis, de quibus Irenæus, Tertullianus, & Epiphanius. Vanitatis adeò affectatæ invidiam & crimen enixiſſimè à ſe amolitur Apoſtolus, veritatem Evangelii, citra omnem verborum faſtum & pompam, & abſque omni lenocinio prædicaſſe contentus; utpote ejuſcemodi ſtrophis rerum majeſtatem detriviſſe veritus. Nihil hic periodorum rotunditati calamiſtratiſque ſententiis indultum erat, quibus levia Græcorum ingenia tantoperè inhiarunt: à Dialecticis

ticis argutiis, in quibus contexendis occupatiſſimi erant Philoſophiæ magiſtri, ex induſtriâ & ſummâ cum religione diſcedebatur. Illicis eloquentiæ pigmenta reſpuebant Chriſtianæ doctrinæ inſtitutiones, in quarum ſimplici enarratione maxima vis, ultra omne humani ingenii acumen, licet ſtudio & uſu maximè exercitum, aſſurgens apparuit. Fruſtra objiciunt Apoſtolis ſtyli barbariem comptuli hi elegantiarum aucupes: eos Græcitatis parum ſtudioſos ad ravim uſque crepent: nihil cœleſtium oraculorum authoritati inde decedit, quòd apertè citra omnem ambiguitatem quæſitamque grandiloquentiam proferantur. Plerique enim Apoſtoli, uti per humile vitæ inſtitutum, cui ab teneris unguiculis aſſuevêre, id nequibant, ita omnes ſtudio veritatis propagandæ, ut ſtupidiſſimus quiſque eam rectè percipiat, id nolebant: nec res ipſæ, gravitate ſuâ venerabiles & planè obſtupeſcendæ, modò illi voluiſſent, tantam ſiverint ſibi fieri injuriam. Quid ergo? quibus argumentis, quâ methodo ſibi utendum eſſe

duxerint Apoſtoli, ut hominibus non niſi illectrice ſuadâ capitioſiſque Syllogiſmis magnâ ex parte irretiendis, ad myſteria Evangelii, quæ nova, quæ necdum audita, quæ difficilia intellectu, quæ nullis Philoſophorum effatis, nulliſque congrua erant hypotheſibus, amplectendum, hominibus, inquam, mentis obſtinatæ, nec à patriis inſtitutis, quæ longa temporum ſeries commendaverat, & aſſiduo uſu non minus ſacroſancta quam familiaria reddiderat, facilè amovendis, irent perſuaſum, hoc totum quantum quantum eſt nos ignorare non ſinit S. Petrus.

Ἐγνωρίσαμεν ὑμῖν τὴν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ δύναμιν καὶ παρουσίαν *notam fecimus vobis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem & præſcientiam.*

præſcientiam.

Cum Judæis, cum Gentilibus agendum erat, & diverſimodè quidem, quod varius utrorumque ſtatus poſtulavit. Judæis concredebantur divina oracula, quæ diligenti manu quotidiè verſabant, ſpe futurorum in iſtâ fatali rerum viciſſitudine, quæ rempublicam illorum peſſum dederant, fulti.

A Va-

A Vatibus ſacris Meſſiam venturum prænuntiantibus toti pendebant, ad auſpicatiſſimum illud tempus, quo naſcendus erat, animo irrequieto anhelantes: illis igitur, certis indiciis, nec à quovis, cui mens ſobria, refellendis, declarant οἱ γνώριμοι familiares & diſcipuli Chriſti, qui id quidem optimè potuêre, illum nuper adveniſſe, & ſe præſentem coram ipſis ſtitiſſe. Non opus erat longo verborum circuitu aut dicendi peritiâ, ut id aſſequerentur. Sufficiebat digitum intendiſſe ad vaticinia, quæ Chriſtus ad minimum uſque apicem impleverit: ad prophetas Spiritu ſancto afflatos provocant, illos ipſos inter diſſerendum, & ſcriptis quoque citant. Vobis ipſis, hoc eſt, oculis, auribus veſtris, & conſentientium omnium famæ credite; veſtræ Gentis Tabularia ſacra, Romanorum Annales conſulite: nihil non à Chriſto factum, quod fieri oportere prædixerant Prophetæ, poſt examen habitum, videbitis.

Gentilibus verò, quorum mentes præjudiciis oppletæ tantorum arcanorum incapaces erant, Chriſti δύναμιν ſive

potentiam,quâ circumfuſus erat,ſive operandi miracula,quæ crebrò & palam millies mille teſtibus adhibitis factitavit,nota faciunt. Hæc candidè,ingenuè, abſq; omni ſuco & larvâ,exaggeratione procul omni, prout geſta fuerint, narratione ſimplici declarant; nihil ficti aut mythici, multo minus quippiam falſi admiſcentes: nihil ingenio aut ſuo aut alieno, nihil aurium voluptati, ne minimum quidem dantes. Horum auctoramento expugnatæ gentes facilè ceſſerunt in obſequium fidei.

1 Corint ij. 4. 13.

Quoniam verò παρουσία in quamplurimis N. Inſtrumenti locis ſignificat glorioſum Chriſti adventum contra Judæos, de quo ipſe loquitur, S. Matth. cap. XXIV. ſenſus iſte, ſi non neceſſariò, ſaltem commodè ſatis hic quoque admitti poteſt. Hunc Chriſtum divinâ poteſtate præditum & miraculis pollentem, cum gloriâ & majeſtate omnibus conſpicuâ, Angelorum ſatellitio ſtipatum, jamjam venturum, prout ipſe prædixerat, ſimplice quidem oratione & abſque interſperſis luminibus prædicavimus: non ſophiſticè & veteratoriè egimus, quaſi

2 Theſſ. i. 7.

ſi ſcenam apparaturi: non fictis aut involutis aut incertis ſermonibus hanc potentiſſimam Chriſti gloriam mox de cœlo revelandam declaravimus.

Ἀλλ' ἐποπτας γενηθέντες τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος *ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis.*

Ἐποπτας vox frequentiſſimi uſus in horrendis Gentilium ſacris, apud quos myſteria duplicis erant generis, τὰ μικρὰ, καὶ τὰ μεγάλα. Priora poſt levem inſtitutionem pauculoſque deinde ritus adhibitos, ut Dii ritè colerentur, omnium oculis patebant, cujuſmodi erant ad pulvinaria Deorum preces, ſacrificia, luſtrationes, epulæ, & totus ille exterior ſuperſtitionis apparatus, cui ordinando Sacerdotes illorumque miniſtri deputarentur. In hiſce obeundis nihil ſecreti habitum, nihil clam populo, utpote aut in mediis templis, quæ cultores promiſcuè admiſêrunt, aut ſub dio factum. In adytis magna myſteria peragebantur: hæc ſummâ cum induſtriâ, ne oculis profanis patefierent, vafri homines occuluêre. Nemini hæc loca ingredi fas erat, & πλείοσις ſive ſecretioribus ſacris

ſacris ritibus intereſſe, niſi per annum pluribus, iiſque partim abſurdis partim horrendis, ſuperſtitionibus præviis initiarentur : ut Plutarchus ſcribit in libro de defectu Oraculorum. Admiranda planè, & quæ omnem fidem ſupergredi videntur, refert Nonnus Scholiaſtes in Gregorii Nazianzeni orationes ſteliteuticas adverſus Julianum παραβάτην de initiandorum ad τελειότερα Mithræ ſacra exploratione & pœnis, ἃς καλὰ βαθυὸν δεῖ τὸν τελεσθησόμενον παρελθεῖν. Poſtea indicto religione juramenti ſilentio, ne horribile iſtud arcanum detegeretur, ἐπόπται fiebant, penitiùs intromiſſi. Tunc enim licuit inſpicere oculis curioſulis impii cultûs ceremonias, & quicquid rituum execrandorum inibi in iſtis penetralibus lymphatici homines, decocto omni pudore, ad placandos Dæmonas peregerint. Inde arcanorum conſcii, & intimæ admiſſionis & omnium horarum amici meritò dicendi ἐπόπται, quorum oculis ac fidei res ſecretæ committuntur, & qui privatâ cujuſpiam converſatione conſtantique familiaritate fruuntur & gaudent.

gaudent. Hoc ergo vult Apoſtolus, ac ſi planioribus verbis dixiſſet, quod de Chriſti potentiâ ac præſentiâ ſive adventu vobis tantâ cum verborum ſimplicitate, ſine artis Oratoriæ pigmentis, ſine vel minimo fabularum, quibus Heroum veſtrorum, uti vocatis, vitæ à Poetis & Sophiſtis deſcribi ſolitæ intumeſcunt, fermento, & ſine affectatis elegantiis narravimus, id non famæ aliorum acceptum referimus, nec incertos hac de re ſpargimus rumores, quos ſera dies meliorque rerum notitia falſi poſtulaverit, ſed quod ſenſibus noſtris habemus compertiſſimum; id proferimus, cujus fuimus oculati teſtes ſive ἀυτόπται: S. Lucæ, cap. 1. v. 3. ipſius μεγαλειότητα ſive majeſtatem præſentes aſpeximus: ſive illa referatur ad potentiam Chriſti, quæ ἐν τοῖς μεγαλείοις ſeu miraculis ſeſe oſtendebat, & gloriam, quæ alibi, cum ſe ſolis Apoſtolis fruendum dederit ſeorſim à cæteris, apparuit; ſive ad peculiarem illam majeſtatem, quacum in ipſa Transfiguratione totus ſplendebat, lumine radiis ſolaribus fulgidiori circumfuſus: quod mihi potius

tius videtur. Hanc enim hiſtoriam connexis verbis proſequitur Apoſtolut, hujuſce atteſtationis ex illorum præſentiâ ductæ rationem redditurus.

S. Lucæ ix. 32.

V. 17. Λαβὼν γὰρ παρὰ Θεοῦ Πατρὸς τιμὴν καὶ δόξαν. *Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam.*

Λαβὼν γὰρ, h. e. λαβὼν ἦν, ἐτύγχανε, aut participium pro indefinito ponitur, ἔλαβε, quod ſcrupulosè admodum adnotavit Oecumenius, quaſi alitèr contra regulas Grammaticæ peccaretur; εἰ δὲ μὴ τοῦτο, ἀναγκαίως εἰς ἀσυντάξιαν ὁ λόγος ἐξολισθήσει: ſed de hiſce minutiis Apoſtoli parum ſoliciti erant. Inſignis ille honor, quem Chriſtus à Deo acceperat, in divinâ approbatione ponebatur. Omnis autem honor in mente tanquam in ſede propriâ reſidet & moratur, à dignitate cujuſpiam perſonæ ortus, qui externis ſignis ſolet exprimi. Cum verò hæc pro ſingularum ferè gentium inſtitutis & moribus varia ſint, in hoc tamen communiſſimo & maximè naturali omnibus convenit, quempiam dignum & meritis illuſtrem debitis elogiis proſequi.

qui. Hoc nempe fieri ubivis ſolet: quanto potiori ratione certum erit optimæ exiſtimationis indicium, quam verè magnificum, ab ipſo Deo commendari! Itaque ut de excellentiâ Chriſti, quod Filius Dei erat, quod è ſinu Patris emiſſus, quod divinâ pollebat authoritate, Apoſtolis, Judæis, univerſis planè ſatisfiat, hoc quoque modo, pariter ac prædictionibus & miraculis, teſtimonium perhibebat Deus, *voce*, nimirum cœlitùs, *dilapsâ ad eum ejuſcemodi*,

Φωνῆς ἐπενεχθείσης αὐτῷ τοιάσδε. Hanc vocem Judæi בת קול ſive *filiam vocis* appellant, quam circa iſta tempora de cœlo crebriùs emiſſam teſtantur. Id ter factum legimus, primo, quando Chriſtus à Joanne Baptiſtâ lotus ex aquis aſcenderat, S. Matth. cap. III. 17. deinde, in monte ſancto, quo de Apoſtolus hic loci agit. S. Matth. XVII. 5. S. Marci IX. 7. S. Lucæ IX. 35. ultimò, multis adſtantibus, quos fama Lazari à mortuis reſuſcitati congregaſſet, in ipſis Hieroſolymis. S. Joannis XII. 28, 29.

ὑπὸ

ὑπὸ τῆς μεγαλοπρεποῦς δόξης *à magnificâ gloriâ*, h. e. ἐκ τῆς νεφέλης φωτεινῆς *è nube lucidâ*, S. Matth. XIII. 5. quâ omnes erant cooperti. Nubes enim erat apud Judæos notiſſimum divinæ præſentiæ ſymbolum. Sic Deus Tabernaculum Exodi XI. 34, 35. & Templum, in ipſius conſecrationis initiis, gloriâ ipſius, h. e. nube impleviſſe dicitur. 1 Reg. VIII. 10. ἡ νεφέλη ἔπλησε τὸν οἶκον, v. 11. *non potuerunt Sacerdotes illic conſiſtere ad miniſtrandum* ἀπὸ προσώπου τῆς νεφέλης, *propter ipſam nubem*, ὅτι ἔπλησε δόξα κυρίου τὸν οἶκον, *quoniam gloria Domini implevit domum.*

οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, εἰς ὃν ἐγὼ εὐδόκησα. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipſum audite.* Hæc ipſa verborum formula habetur apud S. Matth. III. 17. de Chriſto recens baptizato: ſed in hiſtoriâ transfigurationis cap. XVII. occurrit cum additamento αὐτοῦ ἀκούετε quod ſolum retinent SS. Marcus & Lucas, omiſſis verbis, εἰς ὃν ἐγὼ εὐδόκησα. Auritus teſtis erat S. Petrus, illi autem ab ipſo duobuſque aliis Apoſtolis,

poſtolis, qui interfuerant, quid iſthoc tempore & dictum & factum fuerit, edocti. Diſcrimen iſtud non tanti eſt, ut Evangeliſtas ipſos committamus. Verba illa αὐτοῦ ἀκούετε hic planè deeſſe videntur, à Græcis Librariis omiſſa. Non enim ea omittere cenſendus eſt S. Petrus, ac ſi vis illorum in præcedenti formulâ includeretur: nec licebit dicere, illum formulam hanc cum alterâ in hiſtoriâ Baptiſmi repetitâ lapſu memoriæ confudiſſe: quod impium eſſet.

V. 18. Καὶ ταύτην τὴν φωνὴν ἡμεῖς ἠκούσαμεν ἐξ οὐρανοῦ ἐνεχθεῖσαν, σὺν αὐτῷ ὄντες ἐν τῷ ὄρει τῷ ἁγίῳ, *& hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cum eſſemus una cum ipſo in monte ſancto.* Hunc eſſe celeberrimum illum montem Taborem in Galilææ provinciâ ſitum ex fide veteris Eccleſiæ teſtatiſſimum eſt, in quo pulcherrimum templum in honorem & memoriam horum trium Apoſtolorum, qui Chriſti gloriæ conſortes erant, erexiſſe Helenam Conſtantini magni matrem refert Nicephorus, ſi fides illi ſit adhibenda, cum de eâ re ſiluerit Euſebius, *Eccleſ. Hiſtor. l. VIII. c. 30.*

bius, non parcus aut filii aut piiſſimæ parentis laudator & panegyriſtes, in vitâ Conſtantini. Meritò hic mons dicitur Sanctus ob manifeſtationem divinæ præſentiæ, quæ eſt origo & fundamentum ſanctitatis locorum; ut fuſius oſtendi poterit, ſi hujus breviculæ commentationis anguſtiæ id paterentur.

V. 19. Καὶ ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον *& habemus firmiorem propheticum ſermonem.* Ita ad verbum reddit Vulgatus Interpres, Beza *firmiſſimum*, Syrus ſharira, i. e. *firmum.* Senſus, ni fallor, hic eſt; licet gloria & majeſtas Chriſti ita nobis Apoſtolis apparuerit clariſſimis hiſce cœleſtibus indiciis firmata; tamen ad vaticinia de Chriſto, longè antequam naſceretur, quæ hiſce apparitionibus firmiora ſunt, ſaltem reſpectu veſtri, qui ſacra hæc oracula Deo inſpirante edita colitis, & inconcuſsâ fide amplectimini, provocamus. Inde firmamentum fidei noſtræ in Chriſtum, uti in verum Meſſiam, petimus: ab horum authoritate, cui nemo ex vobis citra crimen pervicaciæ poſſit

poſſit refragari & obſiſtere, toti pendemus.

Reſpectu illorum, ad quos ſcribit Apoſtolus, ſermo propheticus firmior eſt, quia de authoritate Prophetarum nulla lis apud illos oriebatur. Vocem verò illam cœleſtem ſolis tribus auditam tanquam fictam calumniari & rejicere poterant homines immodeſti & perverſæ mentis; cum prophetarum fidem in dubium vocare neutiquam auſuri eſſent. Vel hoc quoque modo interpretari licet. Propheticum ſermonem jam nos Apoſtoli habemus firmiorem certioremque hâc Dei Patris declaratione, cui interfueramus, redditum. Veritas miſſionis Chriſti, quam prædixerant ſancti Prophetæ, his viſis auditiſque fit confirmatior. Eventu enim vaticinia magis firmantur. Si denique cum Syro Interprete *firmum* reddamus, quod tamen minus placet, licet hæc enallage in libris novi Teſtamenti non infrequens ſit, tum evaneſcit omnis comparatio inter ejuſmodi apparitiones & vaticinia: prophetarumque authoritas, quam hic firmat Apoſtolus, alte-

rius argumenti vicem ſubibit. Si nobis credere nolitis, (quis tamen teſtibus oculatis auritiſque non vult credere?) ſaltem Prophetis credite: illi fide digniſſimi ſemper habiti, ſemper habendi: hos à partibus noſtris ſtare nobis firmitèr conſtat; illorum teſtimoniis prædicationem noſtram ſtabilimus.

ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες, ὡς λύχνῳ φαίνοντι ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ, ἕως οὗ ἡμέρα διαυγάσῃ, καὶ φωσφόρος ἀνατείλῃ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. *cui bene facitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.*

Si hiſce vaticiniis attendatis, officium veſtrum benè implebitis: opem enim lucernæ optimè præſtant vaticinia, quâ nocte tenebroſâ & illuni & in locis caliginoſis utimur ad dirigendos greſſus noſtros, vel ad id, quod alitèr lateret, inveniendum. Horum enim frequenti lectione, dubia illa, quibus veſter intellectus adhuc-dum obſcuratur, tandem evaneſcent. Lumen illud propheticum novo & eo quidem majori lumine augebitur: illuceſ-

illuceſcente Phoſphoro, fugabuntur umbræ, dieſque tandem plenus vobis aderit. Si benè utimini Prophetis, lumine Evangelii eritis perfuſi, & gratia Chriſti, verum illud ac ſpirituale lumen, fortiùs vibratum corda veſtra illuminabit.

V. 20. Τοῦτο πρῶτον γινώσκοντες, ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται. *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit.*

Velim hoc imprimis noveritis & intellexeritis veram harumce prophetiarum naturam & rationem, quæ in hoc conſiſtit, ut non ſint in arbitrio hominum, ſed ab ipſo Deo inſpiratæ. Nemo hoc prophetandi munus habet à ſe, & à propriâ mentis ἐπιλύσει ſive motu, ſed Deo dante, qui ſolus harum revelationum Author eſt. Ad hunc ſenſum firmandum, non opus eſt, ut cum Grotio hic legi oportere ἐπιλύσεως cenſeamus, cum nullus codex eam lectionem, licet unius literulæ permutatione facilè accidere potuiſſet, habeat. Per incitationem reddi poſſe ex Camerone contendit doc-

tiſſimus Hammondus, quatenus ad rem Agoniſticam refertur: unde qui in Circo curſu certaturi, ſigno dato ſimul dimittuntur, ne alter alterum antevertat, ἀπολύεσθαι dicuntur, quaſi idem eſſet ac ἀποστέλλειν. Jerem. XXIII. 21. ἐκ ἀπέστελλον τοὺς προφήτας, καὶ αὐτοὶ ἔτρεχον· ἐδὲ ἐλάλησα πρὸς αὐτοὺς, καὶ αὐτοὶ ἐπροφήτευον· & Ezech. XIII. 6.—— οἱ λέγοντες, λέγει κύριος, καὶ κύριος ἐκ ἀπέσταλκεν αὐτούς: quæ conjectura Viri optimi longè veriſimilior foret, ſi idem eſſe ἀπολύεσθαι ac ἀπολύειν, quod eſt dimittere ſive veniam abeundi dare, & ex idoneis Authoribus vocem iſtam quoquo modo ad agonas & ludos gymnicos ſpectare probaſſet. Interpretes plerique & Commentatores communiorem hujus vocis ſenſum retinent. Vulgatus, *omnis prophetia propriâ interpretatione non fit.* Beza, *nulla prophetia Scripturæ eſt propriæ explicationis.* Τὸ enim ἀπολύειν apud Græcos Interpretes interdum reſpondet Ebraico vocabulo פתר. Gen. XVI. 12. quod eſt, exponere, interpretari. Prophetæ Dei mentem ipſis revelatam ſolummodò interpretati

tati ſunt, nihil de ſuo adjicientes, neque privatas ſuas opiniones populo venditantes: utpotè conſilii divini puri puti expoſitores & interpretes. Sed primam explicationem hujus vocabuli adſtruere videntur verba ſequentia.

V. 21. οὐ γὰρ θελήματι ἀνθρώπου ἠνέχθη ποτὲ προφητεία. *Non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando prophetia*; hoc eſt, non ab humano arbitrio, non ab affectibus, non ab ingenio & acriori rerum intelligentiâ ſive facultas ſive exercitium prophetandi pendebat; non à temperie aut calore ſanguinis, aut pro arbitrio illorum, quandocunque ipſis libebat: ἀλλ' ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι *ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.* Quicquid dictavit S. Spiritus, αὐτοῖς vel ἐπ' αὐτοὺς ἐπερχόμενον, quod de iis in veteri Teſtamento ſubindè dicitur, illud ſancti Prophetæ locuti ſunt, planè ſupra vires naturæ à Spiritu ſancto acti, & divino numine correpti: θεοφορούμενοι ſive θεοφόρητοι, ſenſu longè diviniori quam

Plutarchus aliique de Sybillis, quas κορυβαντιᾶν fatentur, intellexerint, apud quos ejuſmodi elegantiſſimæ compoſitiones frequentiſſimè occurrunt.

CAP. II.

VErſ. 1. Ἐγένοντο δὲ καὶ ψευδοπροφῆται ἐν τῷ λαῷ, ὡς καὶ ἐν ὑμῖν ἔσονται ψευδοδιδάσκαλοι. *Fuerunt verò & pſeudoprophetæ in populo, ſicut in vobis erunt magiſtri mendaces.*

Ut Chriſtiana doctrina, quam revelante Chriſto evulgaverat S. Petrus, aliique Apoſtoli divino Spiritu afflati, poſt mortem ipſius ſarta tecta & ab omni novitate & corruptelâ immunis perſtet, ſapientèr ille præmonet fore, ut novi Doctores ſint orituri, qui fallaces mendaceſque fabulas, ſub prætextu divinioris cujuſpiam ſcientiæ, incautis nimiumque credulis obtrudere molientur. Non eſt igitur, ut, ſi quando graſſabuntur ejuſmodi Novatores & ſubdoli fraudum architecti, à fide & propoſito veſtro ſancto dimoveamini: neque iſtarum rerum eventus

ventus vos, quaſi nimio metu ex improviſo perculſos, animi incertos & dubios reddat: id enim neque novum neque hactenus incompertum eſt. Eundem morem ab antiquo obtinuiſſe facilè videbitis, ſi ad ſtatum populi Judaici, à primis reipublicæ, à ſanctiſſimo Numine ſub Moſe ejus Miniſtro & Vicario inſtitutæ, initiis ad hodiernum diem oculos retrò flectatis. Cœleſtium oraculorum fides exploratiſſima quoſdam ἐν τῷ λαῷ, i. e. inter Judæos maleferiatos homines & malo Dæmone exagitatos non abſterruit, quo minus prophetarum nomen ementiti, titulumque iſtum venerabilem ſacrilego & impio auſu ad ſe rapientes, nova dogmata iis contraria venditarent. Non defuere olim divinæ veritatis oppugnatores, nec deerunt falſorum dogmatum magiſtri, ſive præ aſſuetis diaboli artibus veritatem fraudibus oppoſitis ſuffocaturi, ſive præ hæreticorum genio, quos mundanæ gloriæ amor, aut lucri ſpes, aut novandi ſtudium, aut veritatis, illorum ſive placita ſive vitia redarguentis, odium, aut obſtinatio mentis,

aut impius zelus ſolent ab inſtitutis divinis tranſverſos non ſine malignâ vi abripere. Ut melius dignoſcantur, eos veris viviſque coloribus depingit Apoſtolus proximis verbis: οἵτινες παρεισάξουσιν αἱρέσεις ἀπωλείας, *qui ſubintroducent hæreſes exitiales*, παρεισάξουσιν, clam & ſubdolè, more peſſimi adulantium generis, qui blanditiis maliſque artibus in favorem & gratiam cujuſpiam irrepunt, ſuppalpando & blandiendo vitiis, ad quæ lubrico naturæ maximè propendet, non palam & γυμνῇ τῇ κεφαλῇ, ne hoſce inſidiatores tanquam peſtem fugiat & averſetur. Ita vim vocis exprimere oportet, pſeudoprophetas hoſce occultè & ſemotis arbitris agere, nihilque ſolicitius habere, ne dolus iſte malus detegatur. Hoc ſenſu quoſdam falſos fratres appellavit S Paulus, epiſtolâ ad Galat. II. 4. παρεισάκτους ſive irreptitios, *qui fuerant clam ingreſſi ad explorandam libertatem noſtri*, id palam facere præ metu aut pudore neutiquam auſi: eodem ſenſu, quo occurrit apud S. Judam vox cognatæ ſignificationis, παρεισέδυσαν, v. 4. Subintroducent

vero

Αἱρέσεις

Αἱρέσεις ſive novas opiniones è propriis cerebellis prognatas. Vox autem *hæreſis*, quæ apud Eccleſiaſticos Scriptores malè audit pro dogmate, quod fidei orthodoxæ repugnat, præſertim in rebus gravioris momenti, ſi originem antiquumque ſpectemus uſum, in numero μέσων eſt, quæ in ſe planè indifferentes, pro diversâ ratione argumenti, quod tractatur, in bonam aut malam partem ſolent accipi. Sic αἱρέσεις τῶν φιλοσόφων peculiaria Philoſophorum, quibus à ſe invicem diſcrepabant, placita, & Medicorum notiſſima diviſio in ἄιρεσιν μεθοδικὴν & ἐμπειρικὴν, h. e. eorum, qui *artem rationalem, aut qui uſum tantum ſibi vendicant*, ut Celſus loquitur. In genere ergo intelligitur dogma illud, quod quiſque pro captu ſuo αἱρεῖται & amplectitur, ut ut in ſe παρείσακτον τι & inſolitum, tanquam veritati maximè congruum. Jam quæ & cujuſmodi opiniones ſint à Chriſtianis cavendæ, quibus nigrum theta inuritur, accuratè deſcribit Apoſtolus: & primo quidem ab eventu protenus inſecuturo

Αἱρέσεις

Αἱρέσεις appellat ἀπωλείας, *ſectas perditionis*, ut nimis preſsè ad literam reddit vulgatus Interpres, hæreſes exitiales, quæ certam perniciem inducturæ ſunt, ut Apoſtolus ſe explicat,

Ἐπάγοντες ἑαυτοῖς ταχινὴν ἀπώλειαν, *ſuperducentes ſibi celerem perditionem.* Utrique miſerè peribunt, tum qui nova & impia hæc dogmata ſubintroducunt, tum qui ea amplectuntur, utpote quorum virus eſt exitiale & peſtiferum, & ex æquo perimit. Quomodo autem hæc pernicies, quam celeriuſculè obventuram prædicit, illos occupaverit, ad caput tertium longè commodius explicabitur.

Καὶ τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην ἀρνούμενοι, *& eum qui emit eos * Deum negant.* Quod duplici modo explicari poteſt, aut ejuſmodi Pſeudophetas Chriſtum Salvatorem ne agnoſcere, ne profiteri quidem velle, ſed illum, quando ipſis proponitur, in quem credant, omninò citra moram & pervicacitèr rejicere & averſari; vel potius, poſtquam fidem & doctrinam Chriſtianam aliquatenus agnoverint, occaſione datâ, ab illius qualicunque

* Dominum.

cunque profeſſione diſcedere, & Apoſtatas agere; quod eventus iſtorum temporum poſtea clarè manifeſtavit. Ingruente perſecutionum procellâ, multi ex his Pſeudochriſtianis, quando coram Tribunalibus ſiſtebantur, omnem in Chriſto fidem repudiarunt, ad nova dogmata & ad Gentilium mores ſeſe recepturi. De Chriſto enim S. Petrum loqui tam certum eſt, quam quod certiſſimum, ut è Judæ epiſtolâ conſtat, qui de iiſdem fidei Chriſtianæ deſertoribus iiſdem penè verbis utitur, Chriſti nomine ejuſque titulis additis, v. 4. τὸν μόνον δεσπότην θεὸν καὶ κύριον ἡμῶν Ιησοῦν Χριστὸν ἀρνέμενοι. Ὁ δεσπότης, uti obſervat Grotius, apud Juſtinum Martyrem alioſque pro Chriſto ſubindè occurrit: & frequentèr uſurpatum reperio in actis Martyrii S. Bonifatii, quæ nupèr Græcè edidit V. Cl. Emericus Bigotius. Hoc autem in loco Chriſtum hoc titulo peculiaritèr inſigniendum curavit Apoſtolus, ut pleniſſimum illud jus, quod in nos habet & vindicat & exercet, clariùs oſtenderet. Jure gentium introducitur Patris familias ſeu heri

heri jus in ſervos, quos dato pretio & numeratis pecuniis in peculium ſuum acquiſivit. Quanto potiori jure Chriſtus dicendus eſt omnium Δεσπότης ſeu *Dominus*, qui ſanguine fuſo tanquam lytro perſoluto nos redemit, ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς, 1 Cor. VI. 20. Ita pro omnibus mortuum fuiſſe Chriſtum, etiam & illos, qui illum abnegaverint, mercatum firmiſſimè adſtruit Apoſtolus, quod de virtute, infinito valore, & efficaciâ hujus pretii, (ſanguis enim Dei erat, Act. XX. 28. per κοινωνίαν ἰδιωμάτων, i.e Θεανθρώπου) non de effectu intelligendum eſt. Hujus inſtituti, quod jam proſequor, ratio non ſinit, ut iſti controverſiæ, quæ tot eruditos inter ſe commiſerit, meipſum immiſceam: parum abeſt, quin ſentiam tam hos quam illos nimio æſtu ferri, reique in ſe ſatis claræ, ſi Scripturæ verbis adhæreſcere velimus, non adeò intellectu difficili, Scholaſticis vocibus, quas diſputandi pruritus nimium ſubtilitèr excogitavit, tenebras offudiſſe. Quam facilè lis iſta componeretur, ſi adverſarum partium fautores, qui rem eandem ſenti-

ſentiunt, diverſimodas, quibus utuntur, diſtinctiuncularum formulas candide vellent interpretari!

V. 2. Καὶ πολλοὶ ἐξακολουθήσουσιν αὐτῶν ταῖς ἀπωλείαις, *& multi ſequentur eorum exitia.* Alitèr legebat in ſuo codice Vulgatus Interpres, *& multi ſequentur illorum luxurias*, cum quo conſentit vetuſtiſſimus codex Alexandrinus, codiceſque alii, ἀσελγείαις, uti etiam verſio Syriaca, quam lectionem, omiſsâ alterâ, tanquam veriorem in textu reponere non dubitavit Stephanus. Ad ſpurcitias illorum alludit Apoſtolus, quibus tanquam philtris ſequaces & diſcipulos eſſent allecturi. Tantoperè enim cupiditatibus indulſerunt, ut ritu belluarum per illorum dogmata in omni vitiorum cœno volutari penitus liceret, nullâ pudicitiæ habitâ ratione. Ita effræni hâc licentiâ faciendi quicquid libet gratiam hominum ſenſibus corruptorum aucupabantur. Quâ methodo pro vafritie ſuâ utendum voluit Mohammedes, qui benè noſſet, aniles fabulas, quas venditavit, abſque tali indulgentiâ à quoquam vix admitii potuiſſe.

δι' ὃς ἡ ὁδὸς τῆς ἀληθείας βλασφημηθήσεται, *per quos via veritatis blaſphemabitur*. Codex Alexandrinus feſtinante librarii calamo habet ἡ δόξα; i. e. religio Chriſtiana, quæ eſt doctrina veritatis, quandoque ἡ ὁδὸς ſimplicitèr & abſolutè dicitur, Act. XIX. 9. κακολογοῦντες τὴν ὁδὸν ἐνώπιον τοῦ πλήθους, more Ebræorum, qui דרך pro quolibet vitæ inſtituto ſumunt, ἡ ὁδὸς τῆς δικαιοσύνης, v. 21. hujus capitis, ὁδοὶ εὐθεῖαι κυρίου, Act. XIII. 10. εὐθεῖα ὁδὸς & ὁδὸς τοῦ βαλαὰμ opponuntur, v. 15. ὁδὸς τοῦ Καΐν, Judæ 11. דרך המאים ὁδὸς ἁμαρτωλῶν, Pſalmo. 1. Horum ſpurciſſimâ vitâ infandiſque moribus, qui ſe nomine tenus Chriſtianos ſimulant, malè audituram apud Gentes Chriſtianam religionem dicit Apoſtolus, tanquam humanæ naturæ corruptricem, in Chriſtianos hac de causâ congeſtis convitiis debacchaturas. Inde enim calumniæ & horrendæ iſtæ criminationes de epulis Thyeſtæis, de infanticidio, & de inceſto & promiſcuo concubitu, cæteriſque ſceleribus, quibus onerabant veteres Chriſtianos ubique diſperſos, ſi non omni, ſaltem

ſaltem maximâ ex parte, enatæ videbantur. Licet enim Chriſtianæ religionis in ſacris ſolennibus ritus, quos perperam intellexerint, pro fingendi & mentiendi libidine, quo majus odium in eoſdem derivarent, illos malè interpretari, & inde quoque apud Vulgus ejuſmodi convitia ſparſiſſe veriſimile videatur; illa tamen convitia non niſi apud credulos & obtuſiores, quibus inexplorata erat Chriſtianorum vita, fidem habuere: & cum de rebus occultis ageretur, ab æquis rerum æſtimatoribus, tanquam malevolorum malignæ ſuſpiciones rejici meritò poſſent. Cum verò omnibus compertum eſſet, Simonis Magi, Carpocratis, Menandri, aliorumque ψευδοδιδασκάλων diſcipulos eo impudentiæ deveniſſe, ut abjurato omni pudore nefanda ſcelera palam & quaſi jactabundi admiſerint, hinc anſam plauſibiliorem univerſos Chriſtianos ſugillandi avidè arripuêre, quod teſtatur Irenæus, de iſtis hæreticis verba faciens libro 1. adv. hæreſes cap. 24. *----putantes omnes nos tales eſſe, avertunt aures ſuas à præconio veritatis, aut*

aut ut videntes, quæ ſunt illorum, omnes nos blaſphemant, in nullo eis communicantes, neque in doctrinâ, neque in moribus, neque in quotidianâ converſatione. Ita ſanctiſſimus Martyr, cujus ſententiam hac in re ſequuntur Euſebius, hiſt. Eccleſ. lib. IV. cap. 7. & Epiphanius in Panario hæreſi XXVII. quæ eſt Gnoſticorum. Hos à ſimplicitate Evangelii & vitæ integræ inſtitutis, incantamentis magiciſque artibus ſeduxerat Simon Magus, ſuis horrendis ritibus initiandos, utpote humani generis propudia. De his potius loqui videtur Apoſtolus, quam de Nicolaitis; licet illi quoque eſſent πεϱὶ τὸ δόγμα ἀσεβεσάτοι, πεϱὶ δὲ βίον ἀσελγέσατοι, eo quod colluvies Gnoſticorum longè famoſior haberetur, & per Syriæ, Palæſtinæ, minoriſque Aſiæ regiones pervagata, in omnium oculos incurreret.

V. 3. Καὶ ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ὑμᾶς ἐμπορεύσονται *& in avaritiâ fictis verbis de vobis negotiabuntur.* Simulato amore & blandiloquentiâ, vel quod magis placet, inventis ſuis & in-

inſomniis, quæ comminiſcuntur & fingunt, mercaturam quaſi exercentes, vos quæſtui habebunt. Hoc agunt miſelli lucri causâ, vobiſque oggannunt & blandiuntur, ut opibus corraſis ſuæ avaritiæ ſatisfiat.

Οἷς τὸ κρῖμα ἔκπαλαι οὐκ ἀργεῖ, καὶ ἡ ἀπώλεια αὐτῶν οὐ νυστάζει, *quibus judicium jam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat.* Τὸ κρῖμα ἔκπαλαι ſive τὸ ἔκπαλαι κρῖμα, ita enim connectendum videtur; ut apud S. Judam, οἱ πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρῖμα. Triſte iſtud fatum, quod ab antiquo infligendum ſtatuebat Deus, jam impendet, οὐκ ἀργεῖ, h.e. οὐκ ἀργὸν ἤτοι οὐκ ἀνενέργητον ἔσται, uti Oecumenius explicat, non otioſum aut inefficax erit, non bruti ad inſtar ſulminis in inanem ſtrepitum abibit. Sed alteram vocis ſignificationem exigere videtur contextus, οὐκ ἀργεῖ, *non ceſſat*, h. e. non ſegneſcit, licet ſegneſcere videatur. Exitium hoc οὐ νυστάζει, non moratur, quod dormitantium eſt, qui res minus diligenter curant, in medio opere præ ſomnolentiâ aut frequenti nutatione interrupti,

quo minus id ad fidem deſtinatum citò perducant.

Ita ut jam hic loci repetere videatur, quod prius dixerat, ἐπάγοντες ἑαυτοῖς ταχινὴν ἀπώλειαν, ut hac repetitione tum calamitatum impendentium certitudinem magis confirmet, tum ab illorum exemplis imitandis, quorum infelicem exitum exhorreſcunt, hiſce minis denuò intentatis, potentiùs avocet.

V. 4. Εἰ γὰρ ὁ Θεὸς ἀγγέλων ἁμαρτησάντων οὐκ ἐφείσατο---*Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit.*

Ut rem propoſitam Apoſtolus evictiſſimam det, hoc verſu & ſequentibus uberi exemplorum, quæ apud illos, ad quos ſcripſit, ad fidem faciendam maximè valebant, copiâ utitur. Si Deus Apoſtatas Angelos de cœlo exterminaverit, ſi priſci mundi incolas, Noacho ejuſque familiâ exceptis, aquarum diluvio ſubmerſerit, ſi civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in favillas igne cœlitus dilapſo redegerit, ſalvo tamen Loto, quem è flammis paulò antè eripuiſſet: hinc quaſi argumentum non abſolviſſet Apoſtolus,

lus, ac Lectoribus suis, quid inde colligendum esset, relinqueretur, defectum hunc ita supplet Oecumenius, οὐ πολλῷ μᾶλλον καὶ κατὰ τὸν νῦν καιρὸν καὶ αὐτοὺς ἀπωλείᾳ παραδώσει; *nonne multo magis jam hoc tempore illos illatis similibus pœnis obruturus est?* Verum non opus est, ut dicamus sacros Scriptores aut ad regulas Donati, aut ad Dialecticorum artificiosas subtilitates redigi debere; cum præterea defectus iste, quem hic fingunt, vix videtur admittendus. Præmissis enim hisce propositionibus, ἀπόδοσιν ritè subinfert versu nono, *novit Deus pios è tentatione eripere, injustos autem*, &c.

Idem habet de hisce Angelis defectoribus & in Tartarum detrusis S. Judas v. 6. Ἀγγέλους τὲ τοὺς μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον, quorum historiam (licet in libris Mosis, qui in hujus visibilis mundi systemate explicando occupatus, de conditu & lapsu Angelorum nihil sacris suis originibus immiscuit, non occurrat) tum Judæi, sive ex traditione sive ex variis Scriptura-

rum locis collectam, tum ab iis mutuati Ethnici Scriptores, tanquam certiſſimam admisêre.

Ἀλλὰ σειραῖς ζόφου ταρταρώσας in infernum dejecit ac præcipites dedit, catenis caliginis devinctos. Voce utitur Apoſtolus ſatis familiari apud ſeculi Scriptores de Titanibus fabuloſis ex Olympo à Jove in Tartarum præcipitatis: inde ταρταρῶν & καταταρταρῶν pro ῥίπτειν ἢ ἐμβάλλειν εἰς τὸν τάρταρον apud Apollodorum alioſque. Cum vero Angelos אלהים ſubinde appellaverit ſacra Scriptura, inde Titanes θεοὶ ſive minores Dii nuncupati. Homerus Iliade ξ.

Θεοὺς ὀνομῆνεν ἅπαντας
Τοὺς ὑποταρταρίους, οἳ Τιτῆνες καλέονται,

& Heſiodus in Theogonia,

Κατὰ δ' ἐσκίασαν βελέεσσι
Τιτῆνας, τοὺς μὲν ὑπὸ χθονὸς εὐρυοδείης
Πέμψαν, καὶ δεσμοῖσιν ἐν ἀργαλέοισιν ἔδησαν.

Empedocles apud Plutarchum in libro περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι, δαίμονας θελα-

θεηλάτους καὶ οὐρανοπετεῖς appellat, ut cæteros omittam. Quod enim historiam sacram de Angelorum λειποτακτῶν pœnâ, quam in inferno subeunt, fabularum involucris interpolarint Gentiles, id à nemine quidem dubitari potest.

Σειραῖς ζόφου ταρταρώσας, παρέδωκεν εἰς κρίσιν τετηρημένους, Vulgatus, *rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari.* Exemplar Alexandrinum, εἰς κρίσιν κολαζομένους τηρεῖν, quod occurrit, v. 9. Σειρὰ enim significat etiam funem, unde σειραὶ εὔπλεκτοι apud Homerum, & Hebraicum חבלי semel redditur per σειραὶ, Prov. V. 22. Identidem S. Judas Apostolus v. 6. εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας δεσμοῖς αἰδίοις ὑπὸ ζόφον τετήρηκεν. Hinc quoque Poetæ Titanas vinculis alligatos, δεσμοῖσιν ἐν ἀργαλέοισιν ἔδησαν, & Tartari portas ferreas esse, totumque ambitum septo ferreo circummuniri fingunt. Omissis verò horum opinationibus, Apostolus hac similitudine à carceribus, in quibus facinorosi & exleges compedibus vincti concluduntur, donec inde rapti prodeunt, sententiam capitis subituri,

ductâ, vult dicere, Angelos hosce in Deum rebelles ineluctabili decreto constrictos citra spem veniæ, ad extremum diem, quo omnes comparebunt judicandi, reservari σειραῖς ζόφου sive ὑπὸ ζόφον in locis tenebrosis subtus terram, sive in aere caliginoso, ut ex vetustis Scriptoribus non pauci, Platonicæ philosophiæ, cui ante fidem Christo datam in Scholis assueverint, etiam facti Christiani, perquam nimium tenaces putarunt. Præeuntem fortasse dixerint se habere S. Paulum, qui Diabolum ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, Ephes. II. 2. appellat, malosque Spiritus τὰς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους αἰῶνος τούτου, & τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, Ephes. VI. 12. h. e. ut volunt, in sublimi supra terram. Licet verò de catenis, quibus detinentur Dæmones, hic loci loquatur Apostolus, alibi illos tanquam in liberâ custodiâ universum terrarum orbem circumire & pervagari supponit Scriptura. Sed de horum domiciliis usque ad diem judicii, non est quod anxie inquiramus.

V. 5.

V. 5. Καὶ ἀρχαίᾳ κόσμῳ οὐκ ἐφείσατο, *& originali mundo non pepercit.* Ita ſeculum illud, quod ab orbe condito ad generale diluvium decucurrerat, appellatur, mox κόσμῳ ἀσεβῶν ſive *mundus impiorum.* Univerſi enim illo tempore ab inſtitutis divinis defecerant, omni metu numinis abjecto rapinæ, cædes, æſtuſque vagæ libidinis undique graſſabantur, in Deum petulantiſſimè procaces, in omne nefas præcipites ruebant, exutâ quidem modeſtiâ, ſceleribus non temerè ſed meditatò intenti.

Ἀλλ' ὄγδοον Νῶε δικαιοσύνης κήρυκα ἐφύλαξε *ſed octavum Noe juſtitiæ præconem cuſtodivit:* ὄγδοον, h. e. ipſum cum ſeptem aliis: nam ex fide certum eſt, quod ὀλίγαι, τοτέστιν ὀκτὼ ψυχαὶ διεσώθησαν δι' ὕδατος, 1 Epiſt. II. 20. *paucæ, i. e. octo animæ ſervatæ ſint in aquâ.*

Ille autem optimo jure κήρυξ δικαιοσύνης dicitur, tam vitâ & exemplo, quam monitis, dum arcam compingeret, ſive de irâ & *juſtitiâ* divinâ, quæ illos, ni reſipuerint, gurgite aquarum erat abſorptura, ſive de *juſti-*

tiâ & probitate, ut tandem ad bonam frugem redirent, verba fecerit. Utrovis modo intelligamus, perinde erit. Νῶε κήρυξεν μετάνοιαν, καὶ ἐσώθησαν κατακόσανλες. Ita S. Clemens in priore epiſtolâ ad Corinthios, item, Νῶε πιστὸς εὑρεθεὶς διὰ τῆς λειτουργίας παλιγγενεσίαν κόσμῳ κήρυξεν: unde *mundum damnaſſe* dicitur. Ebr. XI. 7. δι' ἧς, i. e. κιβωτὸς, κατέκρινεν τὸν κόσμον: longo enim illo tempore, quo arca fabricabatur, veteris mundi incolis infidelitatem exprobrando, eos de imminente ruinâ præmonebat.

Ex editione Junii pag. 10. Pag. 13.

Κατακλυσμὸν κόσμῳ ἀσεβῶν ἐπάξας *diluvium mundo impiorum inducens:* ſed de hoc cataclyſmo ad capitis III. comma ſextum agam.

V. 6. Καὶ πόλεις Σοδόμων καὶ Γομόρρας πυρώσας καταστροφῇ κατέκρινεν *& civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens everſione damnavit.* Qui nefandis amoribus in ſe ardent, ignium ſulphure admixtorum globulis in terram coactis abſumuntur, ut urbibus hiſce duabus celebrioribus, (quæ cæteras innominatas includunt in eâdem planitie jacentes)

centes) ſimul exuſtis ſimulque abſorptis & in lacum Aſphaltiten converſis, pœna, quæ inſtar prodigii erat, crimini contra naturam admiſſo aliquomodo reſpondeat. Incendii hujus meminêre Ethnici Scriptores, quod hiſtoriæ ſacræ adminiculo deſtituti, cauſis è naturâ ſoli petitis adſcribunt. Strabo in libro XVI Geographiæ, ὑπὸ σεισμῶν τε καὶ ἀναῤῥυσημάτων πυρὸς καὶ θερμῶν ὑδάτων ἀσφαλταδῶν τε καὶ θειωδῶν ἡ λίμνη προπέπτωκε, καὶ πέριξ πεδία ἐγένοντο, ἄστε πόλεις, αἱ μὲν καταποθεῖεν, ἃς δ' ἐκλείποιεν οἱ δυνάμενοι φυγεῖν: & Tacitus hiſtoriarum libro V. *haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes magnis urbibus habitatos, fulminum jactu arſiſſe, & manere veſtigia, terramque ſpecie torridum vim frugiferam perdidiſſe.* Ita illi, ac ſi, concurrentibus ejuſmodi cauſis, mero & fortuito caſu incendium illud contigiſſet: at nos melius edocti ſumus, Deum prius in incolas ob flagitioſos mores exarſiſſe, quam flammæ iſtæ abſorptrices immitterentur, urbiumque mœnia & ædes fulmine & preſteribus Dei manu vibratis disjectæ in favil-

ſavillarum acervos concidiſſent. Hoc nempe iratum Numen fecit

ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβεῖν πθεικώς, *exemplum eorum, qui impiè acturi ſunt, ponens:* Geminum illud apud Authorem libri tertii Maccabæorum, in oratione Simonis ſummi Sacerdotis ad Deum, & fortaſſe hinc repetitum. Σὺ τὸς ὑπερηφανίαν ἐργαζομένους Σοδομίλας, διαδήλως ταῖς κακίαις γενομένους, πυρὶ κ) θείῳ καλίφλεξας, παράδειγμα τοῖς ὕπιγνομένοις καλασήσας. Ὑπόδειγμα exemplar ſeu documentum, ut omnes norint, ſi qui illos præfractè imitari audeant, eoſdem igni æterno perituros: ut explicat S. Judas, v. 7. πρόκειλαι δεῖγμα, πυρὸς αἰωνίς δίκην ὑπέχουσαι. Neque enim verba illa ad Urbes referenda ſunt, quod quidam cavillantur, qui ignem illum æternum tandem ſeculis revolutis exſtinctum iri cum Origine credunt, ſed locutione metonymicâ apud omnes gentes vulgatiſſimâ, ad cives; ut verba, quæ præcedunt, firmiſſimè demonſtrant, ὡς Σόδομα κ) Γόμορρα κ) αἱ πρὶ αὐτὰς πόλεις τ ὅμοιον τρόπον ἐκπορνεύσασαι κ) ἀπελθοῦσαι ὀπίσω

σω σαρκὸς ἑτέρας, h. e. impuriſſimi cives, qui in infandum modum ſcortati ſunt, carnem alteram ſectantes, iidem ad flammas gehennales æternum duraturas damnantur.

V. 7. Καὶ δίκαιον λὼτ καταπονέμενον ὑπὸ τῆς ἐν ἀθεσμίων ἐν ἀσελγείᾳ ἀναστροφῆς ἐῤῥύσατο *& juſtum Lot oppreſſum nefandorum injuriâ ac luxuriosâ converſatione eripuit.* Laudes pii Loti, quem Deus ductu & miniſterio Angeli è flammis eripuerat, fusè perſequitur Apoſtolus, cui contigerat inter hoſce ἀθέσμους, qui nullâ lege neque divinâ neque naturali in cordibus hominum citra omnem inſtitutionem inſcriptâ tenerentur, vixiſſe; quorum laſcivâ converſatione (homines enim erant vitâ obſcœni & ad nefandas libidines projectiſſimi) fatigatus, præpio & tenero mentis affectu penè fatiſcebat.

V. 8. Βλέμματι, γὰρ καὶ ἀκοῇ ὁ δίκαιος, ἐγκατοικῶν ἐν αὐτοῖς, ἡμέραν ἐξ ἡμέρας ψυχὴν δικαίαν ἀνόμοις ἔργοις ἐβασάνιζεν. *Aſpectu enim & auditu juſtus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam juſtam iniquis operibus cruciabant.* Ma-

Malè priora verba à vulgato Interprete, quem ſequitur Eraſmus, in Syntaxi conjunguntur, *viſu & auditu juſtus*, quaſi *ſanctos oculos ſanctaſque aures ab omni turpitudine abhorrentes* Lotum habuiſſe innuiſſet S. Petrus: cum planè ad τὸ ἐβασάνιζεν referenda ſint, ut rectiſſimè monet Beza, hoc ſenſu; illorum impia facinora, quæ oculis invitis repugnantibuſque obverſarentur, &, quæ, aliis referentibus, auditu percepiſſet, illum quotidiè & indeſinentèr urebant: præ animi ægritudine, quem moleſtæ torquebant cogitationes hinc ortæ, vix interquieſcere potuit, tot ſceleſtiſſimis ab omni parte circundatus: quocunque enim vertiſſet oculos, aut admoviſſet aures, præ ejuſmodi horrendis ſpectaculis, præque narrationibus paritèr horrendis, illum animi tædebat.

V. 9. οἶδε δὲ κύριος εὐσεβεῖς ἐκ πειρασμοῦ ῥύεσθαι *novit Deus pios de tentatione eripere.* Πειρασμὸς in ſacro codice frequentèr pro quolibet gravi vitæ malo ſumitur, 1 Corinth. X. 13. πειρασμὸς ὑμᾶς οὐκ εἴληφεν εἰ μὴ ἀνθρώπινος

θρώπινος, *tentatio vos non cepit niſi humana*, h. e. vobis aut deſperare aut queri de veſtrâ hac infelici ſorte, quæ vos jam premit, non convenit : nihil tam triſte aut durum vobis obtigit, quin aliis quoque obtigerit. Hujuſmodi mala ſunt omnium hominum communia. Rectè quidem vitæ mala πειρασμοὶ dicuntur, quia viris bonæ mentis obveniunt in explorationem fidei & conſtantiæ, & in virtutum exercitationem, ἀδίκους δὲ εἰς ἡμέραν κρίσεως κολαζομένους τηρεῖν, κολαζομένους pro κολασθησομένους, *iniquos vero in diem judicii reſervare cruciandos*, ut reddit vulgatus; non impunè evadent impii : ſub cuſtodiâ manent, nec elabi poſſunt, in extremo judicii die puniendi. Conſona eſt Solomonis ſententia, Prov. XVI. 4. Φυλάσσεται ὁ ἀσεβὴς εἰς ἡμέραν κακήν.

V. 10. Μαλιστὰ δὲ τοὺς ὀπίσω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ πορευομένους, *magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentiâ immunditiæ ambulant.* Dixerat Apoſtolus Deum in quemlibet impium animadverſurum, addit, maximè verò in hoſce flagitioſos, (quo-

(quorum ſpurciſſimam vitam laſcivoſque mores exagitare omni cura ſatagit) utpote impuriſſimis cupiditatibus carnis deditos,

Καὶ κυριότητα καταφρονοῦντας, h. e. immorigeros, non dominorum tantum ſed τῆς κυριότητος ipſius *dominatûs* contemptores: regimen quodcunque tanquam jugum iniquum à cervicibus ſuis depellentes. S. Judas v. 8. κυριότητα δὲ ἀθετοῦσι.

Τολμηταὶ, ubi conſtructionis causâ neceſſariò præfigendum videtur, οὐ. ſed ſpernit regulas Grammaticæ majeſtas divini eloquii. Τολμηταὶ, omnia peragere audaces, etiam quæ ipſa vetat modeſtia.

Αὐθάδεις, de alienis aut elogiis aut cenſuris minimè ſoliciti, ſibi placentes, ſibi plaudentes hac turpi licentiâ, infami hac vitâ, impiis hiſce opinionibus, ut cæteros omnes præ ſe contemnant.

Δόξας δὲ τρέμουσι βλασφημοῦντες, *Sectas non metuunt introducere blaſphemantes:* δόξας, non *ſectas* ſive opiniones peculiares à veritate Evangelicâ alienas, ſed dignitates ſive τὰς ἐν δόξῃ, ut

ut D. Grotius, qui in honore conſtituti ſunt, & magiſtratu funguntur, non tantum habent deſpicatui hi perditi homines, quod prius dictum erat, ſed probris convitiiſque inceſſunt, inque eos ore blaſphemo debacchantur. οὐ τρέμουσι non tremunt aut horrent, ubi quædam μείωσις videtur eſſe, h. e. cum quadam pertinaciâ ac gloriatione hoc faciunt. Si verò referamus τὸ τρέμουσι ad δόξας, tum ſenſus erit, nullâ erga Principes & Magiſtratus reverentiâ feruntur : hoc enim ſenſu τὸ τρέμειν ſubindè occurrit; cum tremor ſit indicium & effectus reverentiæ : nullo legum ſenſu tacti, & omni pudore depoſito, magiſtratus calumniantur, inque eoſdem ore rabido ſpurca convitia profundunt.

V. 11. ὅπου ἄγγελοι ἰσχύι καὶ δυνάμει μείζονες ὄντες. *Ubi Angeli fortitudine & virtute cum ſint majores*, Pſalm. CIII. 20. גבורי כח δύνατοι ἰσχύι. Angeli, qui tantum poſſunt, & qui ſunt omnium, quos Deus condidit, excellentiſſimi : excellentia enim ſumitur à potentiâ juxta vulgi conceptum, quâ quo quis magis pollet, eo excellentior habetur. οὐ φέ-

* *à Domino, deest quoque* τὸ παρὰ κυρίῳ *in codice Alexandrino.*

οὐ φέρουσι κατὰ αὐτῶν παρὰ κυρίῳ βλάσφημον κρίσιν *non portant adversum se* * *execrabile judicium*, h. e. ab ejusmodi convitiis sibi temperant κατ' αὐτῶν, i. e. contra Magistratus, licet iniquissimè egerint, apud ipsum cœli & terræ dominum, eosque contumelioso judicio non infectantur. Sic Apostolus Judas de Michaele Archangelo in suâ cum diabolo disceptatione de Mosis corpore, οὐκ ἐτόλμησε κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας eodem plane sensu dicit, v. 9. Ita sensus fluit placidissimè, quem turbat Vulgatus Interpres, legendo vice τῶν κατ' αὐτῶν κακῶν αὐτῶν. In aliquibus, ut fortasse quibusdam videtur, codicibus legitur, *à Domino*, ac si in codice Græco reperisset Interpres παρὰ κυρίου pro παρὰ κυρίῳ. Sed additamentum istud potius margini apponitur, ut cum communi lectione congruat.

V. 12. Οὗτοι δὲ ὡς ἄλογα ζῶα φυσικὰ. *Hi verò velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & perniciem:* h. e. Hi vero, ratione penitus exstinctâ, ultra cessant esse homines, ac instar brutorum φυσικῶς, ut apud

pud S. Judam v. 10. quod hic quoque legendum videtur juxta Vulgatum, cœco impetu feruntur, quoquo duxerit naturæ vis indomita: belluino more viventes, ſenſum pro vitæ normâ habent, nec altius aſpirant, quam ut ventribus bene ſit, hac in re potiſſimum brutis ſimillimi; ſicut bruta

Γεγεννημένα εἰς ἅλωσιν καὶ φθορὰν, *facta ut capta intereant:* ita potius reddendum videtur, quam activè, *ad capiendum & corrumpendum*, quod cuidam Interpreti doctiſſimo placet, ἐν οἷς ἀγνοῦσι βλασφημοῦντες, ἐν τῇ φθορᾷ καταφθαρήσονται, ſuâ ipſorum corruptelâ interibunt hi mortalium ſceleratiſſimi, & pœnam moribus corruptiſſimis maximè debitam luent: qui tanto cum furore appetitui indulgent, in omnem libidinem, in omnem blaſphemiam effuſi, linguis adverſus magiſtratus ἐν οἷς ἀγνοῦσιν, quorum utilitatem in vitâ aut civili aut religioſâ non agnoſcunt, vel adverſus alias res, quas penitus ignorant, abutentes. Idem fatum eos manebit, quod feras ſylveſtres, quas vi & inſidiis, venando, laqueis, pedicis, fove-

is effoſſis, omni modo homines ſolent è vitâ tollere. Ita argumenti, quod tractat Apoſtolus, ratio interpretari cogit hanc à brutis ſimilitudinem, de illorum interitu, non de illorum vehementi ad nefas propenſione, quaſi eſſent ἐυάλωτοι τοῖς φθαρτοῖς τυτίσι τῇ κατὰ τὴν φθειρομένην ζωὴν περιαγωγῇ *facilè victi rebus corruptibilibus, ſive vario rerum, quæ circa hanc vitam terreſtrem corruptioni obnoxiam verſantur, apparatu*; uti ſentit Oecumenius.

V. 13. Κομιέμενοι μισθὸν ἀδικίας *percipientes mercedem injuſtitiæ*. Malè hæc verba à præcedentibus ſejunguntur: pœnam, quam impietate ſuâ merentur, ſubibunt. Μισθὸς pro omni mercede qualitercunque debitâ in genere ſumitur, quandoque pro ſtipendio, quod militibus perſolvi ſolet, cujus quædam ſpecies eſt ὀψώνιον, annona in ſingulos menſes data. Ut hic μισθὸς ἀδικίας, ita apud S. Paulum τὰ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας, elegantiſſimè etiam conjunguntur ut pateſiat, quâ juſtâ lege Deus cum peccatoribus ſit in alterâ vitâ acturus, & quam

quam præclaram mercedem ſint reportaturi, qui in caſtris peccati militant. Illud juſtitia Dei exigit, ut unicuique reddatur, prout opus ipſius fuerit: hoc verò peccati natura, quod, tacito quodam pacto interveniente, ad pœnam obligat. Illorum luxuriem uſque perſequitur, ἡδονὴν ἡγέμενοι τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφὴν, *voluptatem exiſtimantes diei delicias*, h. e. quibus totos dies volupe eſt luxui immodico & comeſſationibus, quibus indulgent, impendere.

Σπῖλοι, S. Judæ σπιλάδες, quod Heſychius interpretatur μεμιαμμένοι:

Καὶ μῶμοι maculæ, corpore, animo inquinati, toti ſordidi:

Ἐντρυφῶντες ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν, συνδειπνέμενοι ὑμῖν. Legendum proculdubio, ἐν ταῖς ἀγάπαις αὐτῶν, uti in ſuo codice reperiebat Vulgatus Interpres, *deliciis affluentes, in conviviis ſuis luxuriantes vobiſcum:* cum quo conſentiunt codex Alexandrinus, & Syrus. Cujus lectionis varietatem, ne quis aut conjecturâ, aut horum codicum, quæ ſanè maximi habenda eſt, authoritate niti pertendat,

parallelus S. Judæ locus firmiſſimè demonſtrat. V. 12. ἑτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες, συνδειπνοῦντες ὑμῖν, ἀφόβως ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες. Hic verò τὸ ἀφόβως, i. e. ἀφειδῶς, quod gulæ dediti ſolent, avidiſſimè, τῇ ἀπληφαγίᾳ bene reſpondet. Agapæ autem erant convivia Chriſtianorum, quibus ab ipſis Chriſtianiſmi initiis ſeſe mutuò reficiebant in fraternæ conteſſerationis & charitatis indicium, antequam myſteriorum corporis & ſanguinis Chriſti fierent participes. Hoc enim ordine reſpectu temporis procedebatur, ſumptâ priùs cœnâ lautiori, quam illicò ſecuta eſt cœna Domini; quaſi hoc exemplo Chriſti maximè conveniſſet, qui poſt cibum hoc auguſtiſſimum Sacramentum inſtituit. Liquet hoc planiſſimè ex verbis S. Pauli, 1 Cor. XI. 20. *cum convenitis eodem loci, hoc non eſt Dominicam cœnam edere*, ἕκαστος γὰρ τὸ ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει, h. e. antea ſumit cœnam, quam ſibi apparavit. Ob exceſſus illic admiſſos, quorum manifeſti tenerentur, quaſi eſſent συσσίτια ἢ συμπόσια, mos iſte immutatus

tus erat, h. e. non niſi poſt ſuſcepta ſacra Symbola epulabantur, vel ut utar verbis Plinii Junioris epiſtolâ ad Trajanum, *cibum ſimul capiebant, promiſcuum tamen & innocuum.* Hoſce Chriſtianorum ritus, tum pietatis tum charitatis causâ inſtitutos, optimè & elegantiſſime more ſuo tuetur Tertullianus cap. XXXIX. Apologetici adverſus Gentes: *Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit. Vocatur ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos eſt. Quantiſcunque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum, ſiquidem inopes quoſque refrigerio iſto juvamus: non qua penes vos paraſiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis ſub auctoramento ventris inter contumelias ſaginandi, ſed qua penes Deum major eſt contemplatio mediocrium. Si honeſta cauſa eſt convivii, reliquum ordinem diſciplinæ æſtimate, quid ſit de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit; non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum prægueſtetur: editur, quantum eſurientes capiunt, bibitur, quantum pudicis eſt utile. Ita ſaturantur, ut*

qui meminerint etiam per noctem Deum adorandum ſibi eſſe. Apud Gnoſticos, Carpocratianos, Cerdonianos, cæteroſque eorundem impiiſſimorum dogmatum ſectatores ſacra ſolennia habebantur, quæ impuriſſimis ritibus illi inceſtarunt, hic ab Apoſtolo traductis. Συνελεύσεις enim ſive conventus habuêre, in quibus πολυφαγία, Veneri, laſciviis ſtrenuè admodùm litatum erat, quod teſtantur Clemens Alexandrinus & Epiphanius.

Συνδειπνοῦντες ὑμῖν, quaſi hi Pſeudo-chriſtiani ſeſe ſacris Chriſtianorum cætibus immiſcuiſſent: illud verò τὸ ὑμῖν, quod habent Græci codices, non legebat Syrus. Quod ſi retinere velimus, nihil aliud innuere videtur, quam hanc impuriſſimam ſectam more Chriſtianorum, ſacris peractis, ejuſmodi convivia agitantes, ea in ſpurciſſimos uſus convertiſſe.

V. 14. Ὀφθαλμοὺς ἔχοντες μεστοὺς μοιχαλίδος, Vulgatus, *oculos habentes plenos adulterii*, μοιχαλίας, ut habet codex Ægyptius:

Καὶ ἀκαταπαύστους ἁμαρτίας, legunt Vulgatus & Syrus, ἀκαταπαύστου, *inceſſabilis*

ceſſabilis delicti. Conſpectis fœminis libidine efferantur, nec ſibi ab impuritatibus temperare poſſunt.

Δελεάζοντες ψυχὰς ἀστηρίκτους *pellicientes animas inſtabiles*, h. e. blandis ſermonibus aut philtris, ut prius erat obſervatum ex Irenæo.

Καρδίαν γεγυμνασμένην πλεονεξίας ἔχοντες *cor exercitatum in avaritiâ habentes:*

In *avaritiâ*, vel potius nefandis libidinibus, quem ſenſum, qui hic optimè quadrat, huic vocabulo competere, multis N. Teſtamenti locis congeſtis, probavit Vir conſummatiſſimæ eruditionis, D. Hammondus ὁ πάνυ: κατάρας τέκνα, filii maledictionis, i. e. maledicti, & iræ divinæ obnoxii; periphraſi apud Judæos frequentiſſimâ, ut בן מות *filius mortis*, 1 Sam. XX. 31. i. e. reus mortis, & capitali pœnâ plectendus, בני תערבות, 2 Reg. XIV. 14. *filii fidejuſſionum*, i. e. obſides: τέκνα σοφίας, S. Matth. XI. 19. i.e. ſapientiâ præditi, τέκνα ὑπακοῆς, 1 Pet. I. 14. obedientes, υἱοὶ τῆς ἀπειθείας, Epheſ. II. 2. præfracti & immorigeri; υἱοὶ τῆς ἀδικίας, omni injuſtitiâ repleti.

Ita Judas Chriſti proditor υἱὸς ἀπωλείας dicitur, i. e. perditioni deſtinatus.

V. 15. Καταλιπόντες τὴν εὐθείαν ὁδὸν ἐπλανήθησαν *derelinquentes rectam viam*, i. e. inſtituta Chriſtianæ religionis, quæ rectà ducit ad vitam ſalutemque æternam, *erraverunt*, i. e. fiebant Apoſtatæ & veræ fidei deſertores, quos *Balaami viæ inſtitiſſe*, h. e. illum imitari, dicit Apoſtolus: ἐξακολουθήσαντες τῇ ὁδῷ τοῦ Βαλαὰμ τοῦ Βοσὸρ, *ſecuti viam Balaam ex Boſor*. Appellatur apud S. Joannem Apocalyptam, cap. II. 14. διδαχὴ *Balaami doctrina, qui docebat Balakum objicere ſcandalum coram filiis Iſraelis* φαγεῖν εἰδωλόθυτα καὶ πορνεῦσαι. Sicut ille lucri & avaritiæ causâ conductus Balakum inſtituit, quibus artibus, h. e. conviviorum apparatu & fœminarum conſortio & objectu, ad peccandum pellicerentur Iſraelitæ, idem & hi faciunt, conſilio, operâ, inductâque licentiâ, quo idolothytis veſcantur, & inſanis fœdiſque amoribus indulgeant. Hoc commate & ſequenti hiſtoriam de hoc Mago, quem Prophetam appellat, utpote qui multa de populo

populo Iſraelitico, quaſi invitus, Deo voluntatem ipſius contra flectente, prædixerat, è ſacris paginis cuivis ſatis notam perſequitur, cui tamen quippiam accedit ex vetuſtâ traditione.

Quæritur, an vocabulum Boſor ſit nomen Patris Balaami, an urbis, è quâ erat oriundus. Patet ſanè ex Num. XXII. 5. & Deuter. XXIII. 4. Pſeudoprophetam hunc è Pathurâ Meſopotamiæ urbe ad ripas Euphratis ſitâ ortum. Se dicit adductum *è terrâ Aramæâ ex montibus Orientis*, Num. XXIII. 7. Septuaginta Interpretes ſcribunt id nomen Græcè Φαθουρά. Inde, levi & facili literarum ejuſdem organi permutatione in vocibus Ebraicis Chaldaicè efferendis frequentiſſimè admiſsâ, fit Βασουρά, inde Βοσόρ. Nam licet בצור Græcis ſenioribus Βοσόρ nomen urbis non rarò occurrat; cum tamen ea ſit in Canaanitide, eo quod turribus ac mœnibus munita, fortaſſe ita dicta, neutiquam hic quadrabit. Sedes hujus Præſtigiatoris in Meſopotamiâ potius quærenda eſt. Quam ſententiam amplectitur D. Grotius, vulga-

vulgatum Interpretem, qui *Balaam ex Boſor* reddit, ſecutus. Eorum vero opinio, qui Boſor pro Beor poni malint, longè veriſimilior mihi videtur; tum quia Balaamus in V. Teſtamento crebrò appellatur filius Beor: deinde Viri potius à Patrum quam urbium aut regionum nominibus ſolent cognominari: Syrus quoque reddit explicitè magis & cum additamento, *in viâ Balaam bar Beor* ſive *filii Beor*. Et fortaſſe ita in Græco textu legi oportet. Hujuſmodi enim ſive alliterationes ſive variationes abſque læsâ ſacræ Scripturæ, quæ ex minutiis Genealogicis aut Chronologicis non pendet, authoritate admitti poſſunt. Neque enim ab omni Librariorum mendo quiſpiam ſacros codices immunes præſtabit.

Ὃς μισθὸν ἀδικίας ἠγάπησεν, *qui mercedem iniquitatis amavit*. Tandem muneribus corruptus, & amore pretii oblati flagrans, & importunâ ſolicitatione victus, contra quam animo ſtatuiſſet, cedit. Vates planè conductitius & venalis quæſtum ex arte divinatoriâ, quâ erat famoſus, captat, & merce-

mercedem impiè & injuſte (non enim acquirenda erat, niſi maledictis & execrationibus in populum Iſraeliticum effundendis) aucupatur. S. Hieronymus in quæſtionibus Ebraicis. *Primum Vir ſanctus & prophetes Dei: poſtea per inobedientiam & deſiderium munerum, cum Iſrael maledicere cupit, Divini vocabulo nuncupatur.* Hæc, ſi non è verſu ſequente malè intellecto, fortaſſe ex Judæis Tiberiadenſibus, quibus uſus eſt præceptoribus, hauſit, quorum inficetas fabellas ineptulaſque traditiones ſæpenumero allegare ſolet.

V. 16. Ἔλεγξιν δὲ ἔσχεν ἰδίας παρανομίας, *correptionem verò habuit ſuæ veſaniæ.* Ita vulgatus, ac ſi legiſſet in ſuo codice παροινίας, veſaniæ ejuſmodi, quæ ex temulentiâ & immodico vini hauſtu oritur, aut παραφρονίας ſive abalienatæ mentis. Sed nihil mutandum videtur: hic enim agitur de ejus peccato ſive divinæ legis tranſgreſſione; in poſteriore verſiculi parte περὶ τῆς παραφρονίας, ſive de ipſius dementiâ.

Ὑποζύ-

Ὑποζύγιον ἄφωνον ἐν ἀνθρώπου φωνῇ φθεγξάμενον ἐκώλυσε τὴν τοῦ προφήτου παραφρονίαν. *Subjugale mutum animal*, ut ſignificantèr & appoſitè ſatis, licet barbariuſculè, reddit vetus Interpres: h. e. aſina. Generale enim hoc brutorum animantium nomen ὑποζύγιον ad aſinum & mulum reſtringere amant Septuaginta Interpretes, ut doctè obſervavit D. Grotius: quos ſequitur S. Matth. XXI 5. Aſina voce diſtinctâ & articulatâ conceptis verbis hujus mali Ominatoris *inſipientiam*, ut Vulgatus, ſive furorem & veſaniam redarguendo, inhibebat. Hujus prodigii, ad revincendos hujus ſeculi Atheos reliquoſque inſulſos ſimul ac profanos ſacrarum Scripturarum temeratores rationem reddere, non eſt hujus aut loci aut temporis.

V. 17. Οὗτοί εἰσι πηγαὶ ἄνυδροι, νεφέλαι ὑπὸ λαίλαπος ἐλαυνόμεναι. Codex Alexandr. ὁμίχλαι. *Hi ſunt fontes ſine aquâ, & nebulæ turbinibus exagitatæ.* S. Judæ v. 12. νεφέλαι ἄνυδροι, ὑπὸ ἀνέμων περιφερόμεναι. Hiſce figuratis locutionibus vult Apoſtolus, hos ψευδοδιδασκάλους nihil titulis, quos ſibi arroga-

arrogaverint, dignum præſtitiſſe. Sicut fons aquâ carens ſitientem viatorem deſtituit, nubeſque à turbinibus huc illuc impulſæ diſſipantur & evaneſcunt, nullis in humum ſiccam & hiantem imbribus effuſis: ita hi λογοδαίδαλοι magiſtri multa pollicentur, nihil præſtant.

Οἷς ὁ ζόφος τοῦ σκότους εἰς αἰῶνα τετήρηται, *quibus caligo tenebrarum reſervatur.* Pœnæ internales tum à Chriſto, tum ab Apoſtolis, interdum ſub ratione ignis, interdum ſub ratione tenebrarum ſolent repræſentari. Nihil enim ſenſibus humanis aut igne aut tenebris triſtius aut magis horrendum eſt. Ζόφος τοῦ σκότους, Ebraiſmus eſt, quo utitur Apoſtolus ad ſpiſſiſſimam caliginem, quæ ne minimam quidem lucis ſcintillam admittit, exprimendam.

V. 18. Ὑπέρογκα γὰρ ματαιότητος φθεγγόμενοι, * *ſuperbia enim vanitatis loquentes*, prætumida verba, quibus nullum pondus ineſt, omniſque veritatis expertia effutientes, bucciſque inflatis crepantes. Quam juſtè autem Simonis Magi diſcipulos hac acri cenſurâ

* ſuperba.

ſurâ perſtringat Apoſtolus, ex S. Irenæi adv. hereſ. libris paſſim liquet. Verbis ſonantioribus, inconditis, & barbaris aures ubique perſtrepebant: in quibus grandia veritatis divinæ arcana latere credulis perſuaſum ire illis curæ erat, cum eſſent vaniſſima pluſquam febricitantium inſomnia, à læſo cerebello prognata.

Δελεάζουσιν ἐν ἐπιθυμίαις σαρκὸς, ἐν ἀσελγείαις *pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ*, quaſi eſſet ἀσελγίας caſu paterno; deeſt autem particula ἐν in codice Alex: neq; enim τὸ ἀσελγείαις ex margine in textum explicationis causâ irrepſiſſe mihi videtur. Hâc impiâ indulgentiâ ac turpi lenocinio tanquam illecebris incautos ad ſe pertrahunt.

Τὸς ὄντως ἀποφυγόντας τὸς ἐν πλάνῃ ἀναστρεφομένους. Vulgatus, *eos qui paulum effugiunt, qui in errore converſantur* (potius effugerant) legendo ὀλίγως ἀποφεύγοντας, quod in codice Ægyptio reperitur. Verba enim τὸς ἐν πλάνῃ ἀναστρεφομένους videntur referri oportere ad ſeductores, tum turpi vitâ, tum falſis opinionibus, ab omni probi-

probitate, ab omni veritate devios. Rectè enim τὸ ἀποφεύγειν cum accuſativo conſtruitur, hoc ſenſu, illos, qui ex ſeductorum inſidiis tantum non vel revera evaſerint ſalvi, tandem eorundem incantamentis & illicitarum cupiditatum præſtigiis & allectationibus retractos fuiſſe. Hic ſenſus maximè firmatur è verſu viceſimo.

V. 19. Ἐλεύθερίαν αὐτοῖς ἐπαγγελλόμενοι, αὐτοὶ δοῦλοι * ὑπάρχοντες τῆς φθορᾶς. *Libertatem illis promittentes, cum ipſi ſervi ſint corruptionis.* Libertatem promittunt, ſed qualem? à ſeculo, à legibus naturæ, ab omni vinculo juris, à magiſtratu: en quam belli & boni promiſſores! ipſi interim libidinis mancipia, δοῦλοι τῆς φθορᾶς, ut δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, Rom. VI. 17. Serviunt enim, quibus imperant tot vitia, & quorum fractus eſt animus turpi mollitie, utpote plane degener, & à malis affectibus, quibus oppugnatur, redactus in ſervitutem.

* ὄντες. *Cod. Alexandr.*

ᾧ γάρ τις ἥττηται, τούτῳ καὶ δεδούλωται, *à quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.* Eadem enim eſt ratio ſervitutis

vitutis animi ac corporis, quæ jure belli ac gentium, quo Victor in mancipium plenam habet poteſtatem, introducitur.

V. 20. Εἰ γὰρ ἀποφυγόντες τὰ μιάσματα τοῦ κόσμου ἐν ἐπιγνώσει * τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ, τούτοις δὲ πάλιν ἐμπλακέντες ἡττῶνται, γέγονεν αὐτοῖς τὰ ἔσχατα χείρονα τῶν πρώτων. *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus.* Hac phraſi ſæpenumero uſus eſt beatiſſimus Salvator noſter. Tali apoſtaſiâ, uti augetur culpa, ita quoque augebitur pœna. Idem aliis verbis explicationis causâ dicit Apoſtolus ſequenti verſu.

* κυρίου ἡμῶν MS. *Alexandr.*

V. 21. Κρεῖττον γὰρ ἦν αὐτοῖς μὴ ἐπεγνωκέναι τὴν ὁδὸν τῆς δικαιοσύνης ἢ ἐπιγνοῦσιν ὑποστρέψαι ἐκ τῆς παραδοθείσης αὐτοῖς ἁγίας ἐντολῆς. *Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato.* Minus flagitioſum & damnoſum illis fuiſſet non fuiſſe Chriſtianos, quam

quam Apoſtatas. Codex Alexandrinus habet εἰς τὰ ὀπίσω ἀναχάμψαι ἀπὸ τῆς παραδοθείσης---Aut legendum videtur ἀποστρέψαι, vel poſt ὑπιστρέψαι addendum εἰς τὰ ὀπίσω Relictâ profeſſione Evangelii ipſis per Apoſtolos traditi, quod ab omnibus Chriſtianæ vitæ ſanctitatem per modum præcepti exigit, hi deſertores ad priſtinam redeunt ſpurcitiem, quod eorum conditionem longe deteriorem reddit.

V. 21. Συμβέβηκε δὲ αὐτοῖς τὸ τῆς ἀληθοῦς παροιμίας. *Contigit enim eis illud veri proverbii.*

Quid enim aliud de ſceleſtiſſimis hiſce Apoſtatis erat exſpectandum? inter quos & hæc ſpurca & impura animalia ob quandam morum ſimilitudinem concinnam inſtituit Apoſtolus comparationem, duabus parœmiis:

Κύων ὑπιστρέψας ἐπὶ τὸ ἴδιον ἔξέραμα. *Canis reverſus ad ſuum vomitum.* Hanc è Solomone mutuatus eſt, Prov. XXVI. 11. ὥσπερ ὁ κύων, ὅταν ἐπέλθῃ ἐπὶ τὸ ἑαυτοῦ ἐμετὸν, καὶ μιπτὸς γένηται, ὅτως ἄφρων τῇ ἑαυτοῦ κακίᾳ ἀναστρέψας

ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ ἁμαρτίαν. Theodotion, ἀνόητος δευτερῶν ἐπὶ ἀφροσύνῃ αὐτοῦ. Paræmia apud Judæos frequenti in usu. Maimonides de fundamentis legis cap. V. sect. 7. *Si quis poterit animam suam eripere, & effugere è manu regis, & non facit,* חיה הוא ככלב שב על קיאו *hic tanquam canis revertitur ad vomitum suum.* Τὸ ἐξερᾶν, unde ἐξέραμα, vomendi significatu, apud Hippocratem, Dioscoridem, Græcosque rei medicæ Scriptores reperiri, pridem ab aliis observatum est.

Καὶ ὗς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου *& sus lota in volutabro luti.* Paræmia à familiari istorum temporum usu quoque desumpta. Hi Apostatæ instar canum suumque ad spurcissimos mores, quos exuisse visi sunt, iterum revertuntur.

CAP.

CAP. III.

VErſ. 1. Ταύτην ἤδη, ἀγαπητοί, δευτέραν ὑμῖν γράφω ἐπιστολήν, ἐν αἷς διεγείρω ὑμῶν ἐν ὑπομνήσει τὴν εἰλικρινῆ διάνοιαν. *Hanc ecce vobis Chariſſimi ſecundam ſcribo epiſtolam, in quibus veſtram excito in commonitione ſinceram mentem.*

Quantum aut quantillum temporis effluxerit poſt epiſtolam prius ſcriptam, antequam ad ſcribendum hâc ſecundâ vice mentem advertiſſet S. Petrus, cum planè incertum ſit, nec id conjectando quidem aſſequi liceat, omiſsâ omni hariolatione, è propriis ipſius verbis abundè ſufficiet dicere, eam paulò ante mortem ipſius, quam animo facilè prævideràt, dictatam fuiſſe, ejuſdem prorſus argumenti cum alterâ : ἐν αἷς, h. e. tum in illâ tum in hâc, quam ἤδη *jam*, *hoc tempore*, potius quam ἰδοὺ, uti legebat Vulgatus, tanquam ſalutarem antidotum contra peſtiferum iſtud Simonis

nis Magi virus, quo plurium mentes infectæ intumuerant, duplicatis curis compoſuit, τὴν εἰλικρινῆ διάνοιαν, mentem ſive intellectum ab impuris Gnoſticorum opinionibus hactenus intactum, cui nihil ineſt fuci, qui veritatem clarè perſpectam habet, quique eam nullâ fabularum admixtione corrumpi patitur, novis monitis expergefacit. Quo facultas hæc, quâ pollent, veritatem clarè perſpiciendi, ab omni corruptelâ integra, ſeſe liberius exerceat, nec verſipellis ingenii hominum offuciis obtundi poſſit, repetito utriuſque epiſtolæ propoſito, hortatur

V. 2. Μνησθῆναι τῶν προειρημένων ῥημάτων ὑπὸ τῶν ἁγίων προφητῶν, καὶ τῆς τῶν ἀποστόλων ὑμῶν ἐντολῆς τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος, *ut memores ſitis eorum quæ prædixi, verborum à ſanctis prophetis.* Ex ſequentibus ſequi videtur, hæc vaticinia, quorum illos meminiſſe velit, ad excidium illud, quod jam inſtabat & brevi erat conſummandum, referri debere. Ita enim ex materiâ ſubſtratâ, quâ de agitur, ſenſus neceſſariò videtur reſtringendus. De propheticis enim antiquis loquitur, quorum

rum authoritas apud illos maximè ſacra, & quorum ſcripta quiſque aut pius aut paulò curioſior frequenti ac ſedulâ manu verſabat: qui de infeliciſſimâ rerum ſorte, quâ populus Judæorum eſſet obruendus, futuris poſt reditum ex Babylone ſeculis, obventurâ, verbis apertiſſimis abſque omni ænigmate & perplexitate multa prædixerant. De iſto magno & valdè timendo die intelligendi ſunt Joel. c. II. 15. & Malachias cap. II. v. 5. quem prodigia tum in cœlo, tum in terrâ erant præceſſura

Καὶ τῶν ἀποστόλων ἡμῶν ἐντολῆς: ὑμῶν habet codex Alexandrinus, & alter ille, quo uſus eſt Vulgatus Interpres, *& Apoſtolorum veſtrorum:* apud quem ſequitur, *præceptorum Domini & Salvatoris:* ſed lectio illa, quam habent impreſſi codices, longè præferenda videtur, utpote S. Petro de ſe cæteriſque ejuſdem Apoſtolatûs conſortibus locuto; quanquam pronomen illud, quod à Syro omittitur, inferctum cenſeat Grotius, malè præconceptæ opinioni de Symeone Hieroſolymorum Epiſcopo, tanquam hu-

jus epiſtolæ authore, quam, ab initio jugulavimus, indulgens. Iſtud τῆς loco non ſuo videtur poni, & ita fortaſſe periocham hanc, quæ luxationem quandam patitur, legere oportet, μνησθῆναι τῶν ἐιρημένων ὑπὸ τῶν ἁγίων προφητῶν καὶ τῆς τῶν ἀποστόλων ἡμῶν, καὶ τὴν ἐντολὴν τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος: quod aliquatenus fecit Syrus, qui verba ita reddit, *ut recordemini verborum, quæ prædicta ſunt a prophetis ſanctis, & mandati Domini & Salvatoris noſtri, quod fuit per manum Apoſtolorum:* quaſi tria eſſent diſtincta hujus verſiculi membra, ut hi, ad quos ſcripſit, animo ſuo recolligant, quid prænunciaverint ſancti prophetæ, quid Petrus cæterique Apoſtoli, quid denique mandaverit Chriſtus ipſe Dominus & Salvator. Quo admiſſo, facilè arbitror, hoc Chriſti mandatum reſpicere poſſe monitum illud & conſilium, quod de excidio templi Hieroſolymitani, & adventûs ſui indiciis verba facturus, diſcipulis hiſce de rebus ſolicitè & ſedulò inquirentibus dederat. S. Matth. XXIV. 4, 5. *Videte, ne quis vos ſeducat; multi enim ſub nomine meo venient,*

ent, dicentes, ego ſum Chriſtus ille, multoſque ſeducent: & V. 11. *multi pſeudo-prophetæ exorientur, ac ſeducent multos.* Sed ſi retineamus hodiernam lectionem tanquam veriſſimam, præceptum illud ad Apoſtolos meritò refertur, qui ore & ſcriptis illo munere optimè quidem functi, eandem rem Chriſtianis perquam neceſſariam non ſine ingenti zelo & aſſeveratione inculcabant.

V. 3. Τοῦτο πρῶτον γινώσκοντες, ὅτι ἐλεύσονται ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν ἐμπαῖκται. *Hoc primum ſcientes, quod venient in noviſſimis diebus in deceptione illuſores.*

* ἐπ' ἐσχάτων Cod. Alexandr.

Ut mens Apoſtoli hoc in verſiculo & ſequentibus melius intelligatur, paulò ampliandum eſt. Cum ex deſtinatione divinâ Meſſias *in plenitudine temporis* mittendus eſſet, cujus pretioſo ſanguine humanum genus redemptum iri oportuit, Prophetæ, quibus cæleſte illud arcanum communicârat Deus, tum ut Judæorum fidem ſpe tantæ felicitatis potiundæ ſuffulcirent, tum ut gentem illam, qualicunque malorum genere afflictam, ſolarentur, hujuſce temporis ſuc-

ceſſuri gloriam, inque eo viciſſitudines ſecuturas, (reſpectu præcipuarum, è quibus hæc pulchra rerum compages conſtat, partium, h.e. cœli & terræ; aut brutorum animalium, exſtincto iſto naturali odio, quod inerat, in mutuos amplexus jamjam ruiturorum; aut denique hominum, quibus novum cor & novum ſpiritum, h. e. affectus ab omni labe, quatenus humanæ naturæ fragilitas patitur, puros, bonam indolem, mentemque cœlo pietatiſque officiis intentam, ſe infuſurum pollicetur Deus) adeò graphicè & tantâ cum verborum pompâ ac ſententiarum ubertate deſcribunt, ac ſi novus naturæ ordo eſſet inſtituendus, alterque mundus melioribus auſpiciis prodire debuiſſet. Id tamen ſi non unicè, ſaltem quam maximè hiſce figuratis exaggerationibus volebant hi ſanctiſſimi homines, politiam Judæorum verſus finem præſtitutum properare & urgeri; ritus & ſacrificia, cæteraque Moſaicæ inſtitutionis munia, quæ tanto labore & ſumptu conſtabant, ceſſatura; intervallum hoc, quo cultus iſte ab ipſo Numine circum-

cumſcribebatur, novo abſorbendum, à quo tanquam ab inſtaurato orbe res melius & de integro eſſent proceſſuræ, uſque dum curſum ſuum impleverint; denique, omnia longè meliori ordine denuò procedere à ſeculo Meſſiæ, reſpectu cujus tempus illud antecedaneum, quo ſtatus reipublicæ Judaicæ languebat, jamjam exſpiraturus, rectè dicitur *ultimum*, ſive *dies ultimi*. Nec ipſis Judæis diſplicuit hic ſenſus, hæc notio, ad quam referri debet tritiſſimum iſtud diſcrimen, quod apud illos ſubindè occurrit, inter עולם הזה & עולם הבא ſive *ſeculum præſens & futurum*. Quod è ſacris Scripturis adeò clarè liquet, ut non aliquâ operosâ probatione indigere videatur. Eſaiæ II. 2. *& erit* באחרית הימים *in noviſſimis diebus*, uti Vulgatus, ſive *ultimis temporibus, ubi conſtitutus fuerit mons domûs Jehovæ in vertice aliorum montium, & elatus ſupra colles, ut confluant ad Deum omnes gentes:* quæ verba repetuntur à Prophetâ Michâ cap. IV. 1. Apud Joelem cap. II. 28. hæc verba habentur, *eritque* והיה אחרי כן *poſtea, ut effundam*

effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem : quod generale effatum, citra omnem temporis limitem expreſſum, S. Petrus reſtringit ad tempora Meſſiæ : & ut facilius inducat Judæos, quos habuit auditores, ad fidem vaticinii, tunc temporis afflatu S. Spiritûs in Apoſtolos impleti, utitur phraſi apud ipſos maximè familiari. Act. II. 17. Καὶ ἔσαι ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις λέγει ὁ Θεὸς ἐκχεῶ ἀπὸ τὸ πνεύματός μς ἐπὶ πᾶσαν σάρκα *& erit in noviſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem.* S. vero Paulus hoc extra omnem controverſiæ aleam ponit in epiſtolâ ad Ebræos cap. I. 1. *Multis vicibus, multiſque modis olim Deus locutus Patribus in Prophetis,* ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων, *ultimis diebus hiſce locutus eſt nobis Filio.* Certum ergo fixumque eſto, S. Petrum eâdem phraſi ἐπ' ἐσχάτις τῶν ἡμερῶν velle, tempus illud, quo finis cultui Judaico imponendus eſſet, inſtare, & excidium illud, quo increduli Judæi perituri eſſent, etiam imminere, novumque Meſſiæ regnum per univerſum terrarum orbem incipere

pere diffundi: neque incongruum erit, ut credamus omnia, quæ ſequuntur, ad idem propoſitum referri oportere.

Interim non diſſimulandum eſt, Chriſtianos, harum rerum exſpectatione diu ſuſpenſos, credidiſſe, univerſum orbem, ſi non ſimul, & eodem tempore, ſaltem non longo pòſt intervallo interiturum, rerumque omnium finem prope eſſe: quam opinionem, exciſis Hieroſolymis, proximo ſeculo & deinceps eo magis magiſque invaluiſſe veriſimillimum eſt; quod licet ex Judæorum quaſi πανολεθρίᾳ, tanquam ex flammis vaſtatricibus, erepti evaſerint; nondum tamen è ſervitute Romanâ liberarentur. Hinc ſibi ipſis ingentem invidiam & ſerale odium conflabant, tanquam hoſtes Patriæ judicati, eo quod de imperio malè ominarentur, eoſque hac de causâ turpiſſimis ſannis & cachinnis inſectatur impiiſſimus ſcurra, ſive Lucianus, ſive alius ipſo paulò antiquior, in dialogo, qui inſcribitur Φιλοπατρίς, ubi ob recens expugnatam Cteſiphontem, ac Babylonem, cæteraſque victorias,

quas

quas in Oriente reportaverat Trajanus, & ob repulſas incurſantium Scytharum copias, imperium, novis provinciis ſpoliiſque auctum, perpetuò manſurum ſpondet. Identidem anteà fecêre ejuſdem petulantiæ homunciones, qui hinc quoque occaſionem deridendi παχυπείθειαν ſeu credulitatem Chriſtianorum captabant, de quibus hic loquitur Apoſtolus.

Ἐμπαίκται, Vulgatus, *in deceptione illuſores*, quaſi præ oculis habuiſſet exemplar noſtrum Alexandrinum, vel illius geminum, quod habet ἐν ἐμπαιγμονῇ ἐμπαίκται. S. Auguſtinus de civitate Dei lib. XX. cap. 18 ita quoque legebat in ſuo codice, reddit enim *illuſione illudentes*, more ac ſtylo Judæorum, quem Græcè ſcribentes Apoſtoli paſſim retinuere, qui hiſce cognatis vocabulis intendendi causâ delectantur.

Ἐμπαίκται ergo propriè ſunt, qui levi ingenio tumidi, palam & oſtentabundè in religionem debacchantur, cultumque ſacrum deriſui habentes, cæteros, quos pietatis amor ac cura tangunt, quaſi ipſi ſoli ſaperent, hi verò

verò rem ridiculam feciſſent, riſu ac dicteriis ſtultæ ac noxiæ ſuperſtitionis damnant, minaſque Dei, tanquam inanem ſtrepitum ac vana terriculamenta, ſuſque deque habent. Ebraicè לצים. Pſalm I. 1. *beatus Vir--qui non ſedit* ἐν καθέδρᾳ χλευαζόντων, uti ad literam optimè reddit Aquila: ἐπὶ καθέδρα λοιμῶν, LXX. ἐπὶ καθέδρα παρανόμων V. & VI. Editio: Symmachus vero, ἢ ἐν καθέδρᾳ ἐπιθετῶν ὁ κεκοινώνηκεν. Ἐπιθέτης autem, ut id obiter adnotem, propriè impoſtor eſt: unde quiſquis è Chriſtianorum Aſceticorum numero ſeverius vitæ inſtitutum ſequebatur, ſordido ac pullato, uti ſolebant Græci Philoſophi, habitu indutus ac palliatus incedebat, exerto digito monſtratus, ſcommate familiari nuncupabatur ὁ Γραικὸς ἐπιθέτης: prout obſervavit S. Hieronymus in epiſtolâ ad Marcellam: *Si tunica non canduerit, ſtatim illud è trivio, Impoſtor & Græcus eſt:* Vel potius abjectâ particulâ conjunctivâ, Impoſtor Græcus eſt: Cujus vocabuli uſu Symmachus Apoſtata in Chriſtianos, hoc ignominioſo charactere tunc temporis

poris injuſtiſſimè inuſtos, iram ac indignationem evomuiſſe videtur. Sed ad hoſce Irriſores redeo, quales erant Judæi, Gentiles, Gnoſtici, cæterique defectores, qui Chriſti comminationes de excidio imminente ludibrio & dicteriis impudentiſſimè inceſſerunt:

Κατὰ τὰς ἰδίας αὐτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι. *juxta proprias concupiſcentias ambulantes.* Quæ verba in epiſtolâ parallelâ S. Judæ v. 16. habentur. Non aliter licuit ritu belluarum turpitèr vivere, niſi obductâ alterius vitæ, quæ longè alios mores hominibus ratione præditis dignos exegerit, fide. Ut ſecurius peccetur, illorum maximè intererat, uti fatetur, dum id unicè vult perſuaſum, Lucretius,

Religionibus atq; minis obſiſtere vatum.

Si enim hæc certa fore credidiſſent, illorum vitæ rationes verterentur, ac turbati præ metu inhorreſcerent. Quod argumentis nequibant, ſugillando ſperabant effectum iri. Nemo autem mirabitur ex ejuſmodi principiis vitam fœdam enaſci, aut nefandas cupiditates,

tes, quæ ſunt φθαρτικαὶ τῆ ἀρχῶν, (ſibi enim ſuppetias ferunt mala doctrina & mala vita) incæſtorum hominum conſcientiis callum obducere.

V. 4. Καὶ λέγοντες ποῦ ἔστιν ἡ ἐπαγγελία τῆς παρουσίας αὐτοῦ; *dicentes, ubi eſt promiſſio aut adventus ejus?* proculdubiò malè, cum reddendum eſſet, *ubi eſt promiſſio adventus ejus*, i. e. Chriſti. Ita nimirum peſſimi homines Chriſtianis inſultabant, quos hac irriſoriâ interrogatione compellare ſoliti erant. Dic ſodes, Chriſtiane, quando Chriſtus veſter, qui ſe venturum pollicitus eſt, fidem tantâ cum ſolennitate datam ſolvet? quod ſignum, quale indicium ejuſmodi adventûs monſtrare poteſtis? Fruſtra autem exſpectatis, quod nunquam præſtabitur.

Ex Evangeliis certò patet, duplicem adventum Chriſti fuiſſe promiſſum, primò, antequam illud ſeculum eſſet finiendum, contra Judæos, ut ab ipſis pœna ſceleribus debita exigeretur, 2°. in fine mundi. De priori illum egiſſe, altero non excluſo, capite XXIV. S. Matthæi, in quo ampliſſimum in modum excidium Hieroſolymorum,

morum, cui tot prodigia eſſent præluſura, prædicit, ex certiſſimo rerum eventu abundè liquet: quod ipſe Chriſtus poſt reſurrectionem exertim firmat. Nam Petro de Joanne interrogante, quid illi exſpectandum eſſet, aut quali morte afficiendus, reſpondebat, *ſi velim illum manere, donec veniam, quid ad te?* Inde mente Chriſti perperam intellectâ, ſpargunt rumuſculos, conjecturamque faciunt, illum non moriturum: quam malè fundatam ipſe Joannes amovere ſatagit, *non dixerat*, inquit ille, *ei Jeſus, non morietur, ſed ſi eum velim manere, donec veniam, quid ad te?* Hunc errorem aliquos etiam ævo Tertulliani de S. Joanne, quaſi adhuc vivo & victuro ad diem judicii loco quodam abditiſſimo, imbibiſſe ex ipſius libro de animâ ſatis conſtat: quem non opus eſt, ut multis confodiamus. Illum Epheſi mortuum & ſepultum fuiſſe, Polycrates iſtius Urbis Epiſcopus in epiſtolâ ad Victorem Romæ Epiſcopum apud Euſebium teſtatur. Ideò compertiſſimum eſt, Chriſtum hoc velle, S. Joannem excidio Hieroſolymitano

Hiſtor. Eccleſ. lib. III. cap. 31.

mitano ſuperfuturum : & ſuperfuit quidem, vitâ ipſius in terris prorogatâ uſque ad tempora Trajani : h. e. ad ſexageſimum octavum à Chriſto crucifixo annum, ut S. Hieronymus ſupputat in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

At ne ſine ratione inſanire videantur præclari hi diſputatores, argumentum ad confirmandam propoſitam queſtionem hac ratione confectum eunt, ἀφ' ἧς γὰρ οἱ πατέρες ἐκοιμήθησαν, πάντα οὕτω διαμένει ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως, *ex quo enim Patres dormierunt, omnia ſic perſeverant ab initio creaturæ.*

Hiſtoria creationis, quæ in originibus Moſaicis continetur, Gnoſticis & Carpocratianis non erat incognita ; etſi de ipſo Conditore, quod teſtatur Irenæus, multa ridiculè finxerint & blaſphemè deliraverint. Qui autem hic venerabili Patrum titulo inſigniuntur, ſunt Adamus, Enochus, Noachus, Abrahamus, cæterique Patriarchæ, à quibus aut genus humanum propagatur, aut Judæi ſtirpis ſuæ originem arceſſunt. Nihil, inquiunt, ab horum temporibus in cœlis mutatum

hactenus vidimus: omnia inconcuſſa manent: licet occurrant ubique humanæ fragilitatis exempla, homineſque ſibi invicem ſuccedant, mundus adhuc perſeverat integer, ut, partibus ſuis firmiter connexus & coagmentatus, uti primo die creationis, ne pereundi quidem capax videatur. Dicite, qua parte mundi compages luxetur? ubi & quando ſenuerit? Si ſol cæteraque ſidera aut vices ſuas interruptis circumgyrationibus obire ceſſent, aut radiis quaſi exhauſtis luceant minus quam olim? denique, an terra aut mole aut παναπερμία ſeu vigore vegetabili deficiat, & ſuis convulſa ſedibus fatiſcat alicubi, recaſura in nihilum?

V. 5. Λανθάνει γὰρ αὐτοὺς τοῦτο θέλοντας, *latet enim eos hoc volentes.* Argumentum iſtud, quod tantâ cum confidentiâ protulerint, planè ſophiſticum eſſe, & ab affectatâ primævæ rerum originis ignoratione procedere hic oſtendit Apoſtolus. Obſtinate nolunt meminiſſe divinæ potentiæ, quæ res omnes ab initio è nihilo produxerit; ἐθέλοντι μύσαι πρὸς τὴν ἀλήθειαν, ita

ita Oecumenius, oculos ſpontè claudunt contra veritatem hanc manifeſtam de primordiis mundi:

Ὅτι ἔρανοι ἦσαν ἔκπαλαι, *quod cœli erant prius*, h. e. non ab æterno, ſed à Deo in tempore conditi, ante quod nondum erant. Neque enim de iſthoc intervallo, quod inde excucurriſſet, ad momentum illud, an quater mille annorum, an plus minuſve, ſubtilitèr diſputare, è re cuiquam foret.

Καὶ γῆ ἐξ ὕδατος, καὶ δι' ὕδατος συνεστῶσα, *& terra de aquâ & per aquam conſiſtens*. Hic planè mihi videtur Apoſtolus reſpexiſſe ad rudem indigeſtamque terræ molem, aquis ſubmerſam & coopertam, antequam ipſa fieret arida, & educandis hominibus, animantibus, arboribus, & plantis apta redderetur, & antequam aquæ, quæ ipſius ſuperficiei incubuerunt, in excavatos canales tanquam in tot conceptacula juſſu ſapientiſſimi Conditoris confluxiſſent; ita ut tota hæc maſſa ante factam utriuſque elementi diſcretionem, nihil aliud eſſet quam ingens ὕλη, quæ ſeminium ac materiam

omnium creandorum ſubminiſtrabat: quod etiam Philo Biblienſis hiſtoriæ Phœniciæ interpres ex Sanchuniathone obſervavit. Cœli enim delituerant in chao æque ac terra. Γῆ ἐξ ὕδατος, *terrâ ex aquâ* tanquam ab operimento, quo tegebatur, ſeſe attollens, emerſit & apparuit, prius inconſpicua; non ex aquâ tanquam ex principio materiali conſtituta; quaſi Apoſtolus ſenſiſſet, craſſiores aquæ particulas firmitèr ſibi connexas in terram obduruiſſe: licet fortaſſe non alitèr Moſem intellexerint Zeno Cittienſis & Thales Mileſius, qui aquam unicum rerum naturalium principium ſtatuiſſe perhibentur: cum id de utriſque elementis in tenebroſâ abyſſo ſimul miſtis confuſiſque, aquâ tamen ſupernatante, intelligi oporteat.

Καὶ δι' ὕδατος συνεστῶσα, h. e. ἐν ὕδατι ſive *in aquâ*: tellus enim omni ex parte circumcirca aquis cingitur: quâ phraſi reſpicere videtur Apoſtolus præſentem terræ, quam ingens ambit oceanus, conſtitutionem, poſtquam ea, quæ prius confuſa jacuerant, ὁ νοῦς, ut Anaxagoras loquitur, ſive infinita Dei ſapien-

ſapientia diſcreviſſet. Materiam hanc ab æterno præexſtitiſſe, tanquam divino Opifici neceſſariam, è quâ cuncta formaret, crediderunt Philoſophi, quorum mentes auxiliis aut divinæ revelationis aut veræ traditionis deſtitutæ, falſiſque ex hodierno rerum ſtatu deſumptis hypotheſibus impeditæ, myſterium creationis minimè capiebant; quo uſque potentiam divinam non ſolum poſſe ſed debere extendi ratio illuminata facilè ſuggerit, hæc omnia nimirum è nihilo facta fuiſſe.

Τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ *Dei verbo* vel *per ſermonem Dei.* Hoc antea dixerat Pſaltes regius. Pſalmo XXIII. 5. *Verbo Dei cœli facti ſunt:* λόγῳ Θεοῦ οἱ οὐρανοὶ ἐστερεώθησαν, ut LXX pro more ſuo reddunt; ἐπάγη σαν, Aquila, ἐγένοντο, Symmachus: h e. juſſu & potentiâ Dei omnia facta erant. Dixit nimirum, & factum eſt. Non enim quippiam myſterii aut aliqualis neceſſitas ullatenus cogunt, ut hæc verba, licet eopte ſenſu veriſſima, de Chriſto, qui eſt verè ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, ἢ ὁ λόγος Θεὸς interpretemur. Neque jam

hoc loco id agit Apoſtolus, ut Chriſtum mundum condidiſſe oſtendat, quod ex propoſito & induſtriâ egêre S. Joannes cap. I. 1. & S. Paulus epiſtolâ ad Ebræos cap. I. 2. ſed ut potentiam divinam, quam hæretici cavillationibus ſuis de perpetuâ mundi duratione convulſum iverint, in hoc divino ac admirando creationis opere clarè aſſerat. Nec quiſpiam facilè dixerit, Davidem cæteroſque, qui ante Chriſtum incarnatum eâdem phraſi uſi fuerint, ad eundem fidei Chriſtianæ articulum reſpexiſſe, quibus diviniſſimum illud ſanctiſſimæ Triadis myſterium non adeò explicitè patefieri veriſimile eſt: multo minus opus erit, ut oſtendam eadem vocabula ממרא דיי multoties occurrere in Paraphraſibus Chaldaicis tum Onkeli tum Hieroſolymitanâ, per quæ, an Meſſias ſit intelligendus, quod acritèr contendunt Helvicus & Rittangelius in librum Jetzira, ultra diſquirere non convenit. Neque huc, ut mihi videtur, trahi poſſit ſine præjudicio veritatis Chriſtianæ λόγος Epicharmi, Zenonis, Platonis, ejuſque diſcipulorum, qui nihil

nihil aliud hâc locutione innuebant, quam omnia Deo diſponente ſummâ ratione ac prudentiâ conſtare. Unicum hac de re teſtem citabo Tertullianum Apologet. cap. XXI. *Jam ediximus Deum univerſitatem hanc mundi Verbo & ratione & virtute molitum. Apud veſtros quoque ſapientes λόγον, i. e. ſermonem atque rationem conſtat artificem videri univerſitatis. Hunc enim Zeno determinat factitatorem, qui cuncta diſpoſitione formaverit.* Ad hanc originariam cœli & terræ ex aquâ & in aquâ conſtitutionem reſpexit Apoſtolus, ut quâ ratione, quove modo univerſa tellus poſtea ſubmergeretur ſeculo Noachi, facilius oſtenderet Sequitur enim

V. 6. Δι' ὧν ὁ τότε κόσμος ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο, *per quæ ille tunc mundus inundatus periit*

Δι' ὧν *per quæ*, ut rectè Vulgatus, non διὸ, *quam ob rem* ut Beza. Per hæc duo, cœlum & terram, h. e. nubibus ex continuis vaporibus conſtipatis, unde ingens ſuppetebat pluviæ, in terram cum impetu & vi procellosâ effundendæ copia, tandem

liquefactis, cataractiſque cœli effractis; deinde, erumpente ex interioribus terræ meatibus ſpecubuſque aquarum colluvie, &, ut Moſaicis verbis utar, *omnibus abyſſi magnæ fontibus ruptis*, terra, univerſis incolis, exceptis octo, deletis, cooperiebatur.

Ὁ τότε κόσμος, *qui tum erat mundus* ſive *mundus impiorum*, & *mundus antiquus*, capite præcedente, reſpectu hujus, qui jam ad finem properat, alteri ceſſurus: inſigniori quapiam rerum mutatione novam cœli & terræ originem quaſi daturâ. Non enim alius erat mundus ille novus, quem induxerat cataclyſmus, ab antiquo quoad eſſentialia: eadem moles, figura eadem, eadem ſubſtantia inerant utriſque: nec aliud futurum erat ſeculum Meſſiæ, quod ab excidio Hieroſolymorum erat ordiendum. Ut igitur argumento de mundo in perpetuum duraturo, quod obtendebant Chriſtianæ religionis irriſores, eo quod nulla tantæ mutationis indicia adhuc exſtarent, planè ſatisfiat, duo agit Apoſtolus: primò oſtendit, illos præfractè admodum obliviſci, quam omnia omnipotentis

potentis Dei juſſu ex nihilo emerſerint; deinde refert, mutationem æquè obſtupeſcendam, quam, ut legibus naturæ repugnantem & neutiquam metuendam, pari confidentiâ derídebant veteris mundi incolæ, toties à Noacho fruſtra moniti, ab irato Numine factam olim contigiſſe. Poteſt ergo Deus, qui poteſt omnia, alterius elementi miniſterio novam rerum faciem inducere: & ſubitò quidem, modo velit: vult verò facere, quod ſe facturum ſpoſpondit: juſtus enim eſt & verax, æque ac potens.

V. 7. Οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ τῷ αὐτῷ λόγῳ τεθησαυρισμένοι εἰσὶ, πυρὶ τηρέμενοι εἰς ἡμέραν κρίσεως *Cæli autem qui nunc ſunt, & terra eodem Verbo repoſiti ſunt, igni reſervati in diem judicii.* Tota hæc rerum compages incendio obnoxia eſt, & tandem τῷ αὐτῷ λόγῳ, vel τῷ αὐτῷ λόγῳ (codices enim variant) eâdem divinâ potentiâ ac ordinatione, quâ condita erat, & quâ olim terra aquis obruta, reapſe conflagrabit. Traditio hæc de mundo flammis perituro quoſdam è philoſophis non latebat: ita enim

nim Heraclitus Epheſius, ita Empedocles ſtatuebat, ut cæteros omittam. Erat inter κοσμίας δόξας ſeu effata Stoicorum ἡ τοῦ ὅλου ἐκπύρωσις, ſive ut loquitur Octavius, quod *conſumpto humore mundus hic omnis igneſcat*: hoc eſt, ut Antoninus Imperator & Philoſophus explicavit, τὸν κόσμον καὶ πάντα τὰ σώματα ἀναλυόμενα ἐν τῇ ἐκπυρώσει. Ita ut parum ingenuè feciſſe cenſendus ſit Cæcilius apud Minucium, qui hoc dogma tanquam abſurdum prorſus & ἀφιλόσοφον Chriſtianis exprobravit. *Quid quod toti orbi & ipſi mundo cum ſideribus ſuis minantur incendium; ruinam moliuntur? quaſi aut naturæ divinis legibus conſtitutus æternus ordo turbetur, aut rupto elementorum omnium fœdere, & cæleſti compage diviſâ, moles iſta, quâ continetur & cingitur, ſubruatur.* Hæc omnia ad univerſam rerum ſtragem ultimo die referenda primo intuitu videntur. Num verò dixerimus cum Grotio, Apoſtolos credidiſſe generale judicium, ſuis temporibus, vel mox poſtea futurum, eoſque hac in re locutos non δογματικῶς ſed σοφαστικῶς, ultima

In appendice ad Comment. de Antichriſto.

ultima fata Hieroſolymorum & totius mundi ſimul commiſcuiſſe? Neque aliter, ut mihi quidem videtur, intelligendus eſt Lactantius in aureo illo fragmento de extremo judicio, *In illo judicio vel circa id judicium has res didicimus eſſe venturas, Heliam Theſbitem, fidem Judæorum, Antichriſtum perſecuturum, Chriſtum judicaturum, mortuorum reſurrectionem, bonorum malorumque direptionem, mundi conflagrationem, ejus denique renovationem. Quæ omnia quidem ventura eſſe credendum eſt.* Sed eundem de ſtatu mundi poſt peractum judicium ſuſius diſſerentem conſule, divinar. inſtitut. lib. VII. cap. 24.

Verum de imminente Judæorum excidio, quod illico accidebat, multa Chriſtum prædixiſſe nemo non fatebitur, in quo totius mundi ruinam includi colligebant; non quaſi eſſet in nihilum redigendus, ſed planè reformandus, ac novis juſtiſque legibus, nimirum Chriſti, regendus. Neque enim aliud innuit Apoſtolus, v. 13. *Novos cœlos novamque terram juxta promiſſum ejus exſpectamus, in quibus inha-*

inhabitat juſtitia. Quomodo autem templum Hieroſolymitanum una cum urbe poſtea conflagraverit, cujuſmodi prodigia & ignea φάσματα in ipſo æthere apparuerint, quaſi totus arſiſſet, quot millia hominum ferro, igni, fame abſumpta, quam ferálibus ſanguineiſque odiis inter ſe conflixerint, quanto furore in ipſos à Romanis militibus ſævitum, & quam dira in iſtâ fatali obſidione paſſi fuerint, ex Joſepho, oculato teſte, & qui non minima ejus pars erat, ſatis conſtat: Chriſtianis interim, qui à Chriſto prius, deinde κατὰ τινὰ χρησμὸν δι' ἀποκαλύψεως εἰρημένον, ut loquitur Euſebius, ab oraculo moniti, ſolutâ à Gallo obſidione, ultra Jordanem ſeſe Pellam receperint, hâc fugâ ab iſtâ horrendâ ſtrage, quam poſtea reducto exercitu fecerat Titus, liberatis. Ad hanc ſtragem hiſce figuratis amplificationibus, more veterum Prophetarum, qui ejuſmodi verborum ſchematiſmis delectantur, reſpexiſſe Apoſtolum ſentit doctiſſimus Hammondus, nec de fine mundi hic quicquam agere. Mihi potius videtur hic de Judæorum excidio agi,

Hiſt. Eccleſ. lib. III. cap 5.

-ſed

ſed ita ut ὑποτύπωσις ſeu quædam delineatio rerum in extremo mundi ruituri die ſubeundarum, quando magis ad literam implebuntur, ſimul quoque exhibeatur.

Καὶ * ἀπωλείας τῶν ἀσεβῶν ἀνθρώπων *& perditionis hominum impiorum*, quo tempore impii hi homines, qui, legibus divinis commination ibuſque Chriſti ſuſque deque habitis, voluptatibus & luxui indulſerint, quaſi nullus eſſet futurus poſt mortem ſtatus, nec ratio anteactorum in vitâ exigenda, peribunt, h. e. ad pœnas ſceleribus & infidelitati debitas condemnabuntur. * *Codex Alexandr. ex ingenti Amanuenſis oſcitantiâ habet ἀσεβείας.*

V. 8. Ἓν δὲ τοῦτο μὴ λανθανέτω ὑμᾶς ἀγαπητοί ὅτι μία ἡμέρα παρὰ κυρίῳ ὡς χίλια ἔτη, καὶ χίλια ἔτη ὡς ἡμέρα μία. *Unum vero hoc non lateat vos chariſſimi, quia unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni, ſicut dies unus.*

Ne verò diem iſtum tanto cum ardore expetitum nimium differri, quaſi procul abfuiſſet, præ imbecillitate mentis laſſatâ patientiâ quererentur, monet apud Deum, qui pro ſummo arbitrio agit, nihil diſcriminis intereſſe,

ſi

si aut citius aut tardius, quicquid decreverit, exequatur. Hæc temporum intervalla solos spectant mortales, quibus post paucos annos in terris confectos, ex hac vitâ emigrandi incumbit necessitas. Hinc, si quod impensius desideramus, maximè cum desiderium acuant res adversæ, paululum moræ trahere videatur, animus labascit, & tristi exspectatione torquemur, Deo id vix permissuri; cui omnia simul coexistunt absque aliquâ temporis aut præteriti aut futuri ratione: ἅτε δὴ ἀπείρῳ ὄντι καὶ πελάγῳ οὐσίας ἀπεριορίστῳ οὐδὲν αὐτῷ παρατεταμένον: ut rectè adnotavit Oecumenius. *Mille anni sunt in oculis tuis, us dies hesternus, quando præteriit, vigiliaque nocturna*, Psalm XC. 4. Omne ergo Deo spatium idem est, quod nos pro vitæ pereuntis modulo aut longum aut breve appellamus. Hinc collegêre veteres Judæi, quos è Christianis non pauci sequuntur, mundum per sex millia annorum duraturum. Sicut enim sex dierum spatio mundus cum toto rerum apparatu condebatur, ita mille annos pro singulis diebus numerando, mundum

mundum pari numero ſeculorum millenariorum evoluto ceſſaturum hariolantur: hanc verò conjecturam, utpotè incertam quam maximè, & è traditionibus Judæorum hauſtam, convellere in præſenti neutiquam opus erit. Monuiſſe ſufficiet, hoc determinato mille annorum numero tam apud Ebræos quam Græcos longiſſimum temporis intervallum denotari.

V. 9. Οὐ βραδύνει ὁ κύριος τῆς ἐπαγγελίας, ὥς τινες βραδυτῆτα ἡγῶνται *non tardat Dominus* * *promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant:* ὁ κύριος, i. e. dominus Chriſtus, qui ſe venturum promiſerit, ſuo tempore adveniet, quem quidam, tanquam promiſſi immemorem, fruſtrà & injuſtè adventum ipſius differre & morari criminantur. * promiſſ.

Τῆς ἐπαγγελίας pro τὴν ἐπαγγελίαν fortaſſe reponendum, ut Syntaxeos rationi melius conſulatur, licet non ſit, quod Apoſtolos cœleſtia myſteria tractantes ad ejuſmodi regulas Grammaticales aſtringamus. Neutiquam enim placet, ut hæc verba κύριος τῆς ἐπαγγελίας ſimul conſtructa reddantur,

tur, *Dominus promiſſi.* Senſus eſt, non diu morabitur Chriſtus, quo minus ſuam promiſſionem impleverit: juxta iſtud Apocalyp. XXII. 12. ἰδοὺ ἔρχομαι ταχύ, καὶ ὁ μισθός μου μετ' ἐμοῦ, & v. 20. λέγει ὁ μαρτυρῶν ταῦτα, ναὶ ἔρχομαι ταχύ. Ἀμὴν. ναὶ ἔρχου κύριε Ἰησοῦ.

Ἀλλὰ μακροθυμεῖ εἰς ἡμᾶς, μὴ βουλόμενός τινας ἀπολέσθαι, ἀλλὰ πάντας εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι. *Sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Propter vos, juxta exemplar Alexandrinum, διὶ ὑμᾶς, cum quo mirè concordat vetus Latina verſio; ut ſæpè & fortaſsè non ſine tædio lectoris monui.

Hoc eſt divinæ miſerecordiæ & longanimitatis tum indicium tum finis, ac ideò adventum ſuum differt, ut quiſque dato pœnitendi ſpatio in propriam ipſius ſalutem utatur: neminem enim, ne obſtinatiſſimum quidem, perire vult, modò reſipiſcat.

V. 10. Ἥξει δὲ ἡμέρα Κυρίου ὡς κλέπτης ἐν νυκτί. *Adveniet autem dies Domini*

dies Domini ut fur, ubi *in nocte* omittitur, uti ἐν νυκτὶ in codice Alexandrino: h. e. ſubito & clam, cum ne minimum quidem exſpectatur. Mundo profundâ ſecuritate ſopito fatalis illa hora ſuperveniet inſtar furis, qui in intempeſtâ & ſilenti nocte in domos, quas expilaturus eſt, ſine ſtrepitu ſolet irrepere:

Ἐν ᾗ οἱ οὐρανοὶ ῥοιζηδὸν παρελεύσονται, *in quo cæli magno impetu præteribunt.* tranſiint.

Ῥοῖζος ab Heſychio redditur ψόφος, ἦχος, ῥεῦμα σφοδρὸν, ita ut ſtridorem cum impetu ſignificet. De telis, ſagittis, lapidibus, cæteriſque miſſilibus è manu, arcu, aut baliſtâ per aerem cum ſtridore projectis uſurpatur; de ventis quoque dicitur, quorum vis ingens tum mari tum terrâ ſentitur.

Στοιχεῖα δὲ καυσούμενα λυθήσονται καὶ γῆ καὶ τὰ ἐν αὐτῇ ἔργα κατακαήσεται *elementa verò calore ſolventur, terra autem & quæ in ipsâ ſunt opera exurentur.* Sydera & aer & quicquid in aere longè ſupra terram elevatur, quatenus contradiſtinguuntur à terrâ, & quæ in eâ ſunt opera, ea omnia

dicit ſimul exurenda eſſe, h. e. tota rerum compages univerſali illâ conflagratione diſſolvetur. Vocabulum hoc στοιχεῖα non ſolum quatuor vulgaritèr dicta elementa, ſed ſtellas tum fixas tum erraticas apud Græcos Scriptores ſignificat, quæ diſtinctionis cauſa ἐφάνια στοιχεῖα appellantur. Hinc στοιχειωματικοὶ, qui πλάσματα ſive imagunculas cognatas ac ejuſdem figuræ cum quibuſdam ſignis cæleſtibus, tum, uti loquuntur Aſtrologiæ judiciariæ ſtudioſi, horoſcopantibus ad depellenda mala concinnant & efformant: quarum, inter alios, famoſus erat artifex Apollonius Tyanæus. At ſi de excidio Hieroſolymitano placet interpretari, quo cœlum tot facibus ignitis colluſtratum exardeſcere videbatur, nihil aliud innuit Apoſtolus, quam poſt hanc tot prodigiis oſtentiſque meritò obſtupeſcendam cladem, & jam abolitis una cum templo & urbe legum Moſaicarum ritibus, novum Meſſiæ ſeculum ex ejuſmodi ruinis emergere & oriri, & exinde *novos cœlos & novam terram, in quibus inhabitat juſtitia*, exurgere: quod non

non de naturali ſed morali rerum ſtatu videtur intelligendum.

V. 11. Τούτων οὖν πάντων λυομένων ποταπὸς δεῖ ὑπάρχειν ὑμᾶς ἐν ἁγίαις ἀναστροφαῖς καὶ εὐσεβείαις; *Cum igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus & pietatibus?*

Fortiſſimè urget argumentum Apoſtolus ab hac fatali rerum converſione ductum. Quali vitæ ſanctimoniâ præditi, quam caſtis moribus eſſe debetis, qui hæc tam certo eventura creditis:

V. 12. Προσδοκῶντας καὶ σπεύδοντας τὴν παρουσίαν τῆς τοῦ Θεοῦ ἡμέρας, δι' ἣν οὐρανοὶ πυρὶ λυθήσονται, καὶ στοιχεῖα καυσούμενα τήκεται, *exſpectantes & properantes in adventum diei * Domini, per quem cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent.* * Dei.

Vos qui diem hunc Chriſti ſtatim adfuturum exſpectatis, καὶ σπεύδοντες votis quidem & deſideriis quaſi acceleratis. Hæc enim erat omnium Chriſtianorum iſto tempore exſpectatio & fides. S. Barnabas in epiſtolâ ſect. X. *juſtus*, ὃς τὸν ἅγιον αἰῶνα ἐκδέ-

χείαν, *qui exſpectat ſanctum ſeculum*, h. e. novum ſeculum Meſſiæ, quod ab excidio Hieroſolymorum erat incepturum. S. Paulus ad Titum. cap. II. 13. Προσδεχόμενοι--τὴν ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

V. 13. Καινοὺς δὲ οὐρανοὺς καὶ τὴν * καινὴν κατὰ τὸ ἐπάγγελμα αὐτοῦ προσδοκῶμεν, ἐν οἷς δικαιοσύνη † κατοικεῖ. *Novos verò cælos & novam terram & promiſſa ipſius exſpectamus, in quibus juſtitia habitat:* ac ſi in codice, quo utebatur, legiſſet, καὶ τὰ ἐπαγγέλματα αὐτοῦ, ut expreſsè habet Exemplar Alexandrinum: præter inſtaurationem cœlorum & terræ, cætera Chriſti magnifica promiſſa exſpectamus, puta ab omni malo liberationem, reſurrectionem, vitamque in cœlis cum ipſo in æternitatem ſeculorum fruendam. Sed juxta communem lectionem videtur hoc velle Apoſtolus, ex hac ingenti ſtrage pulchriorem rerum faciem juxta Chriſti promiſſum inducendam eſſe, hoc eſt, omnia ab hac inſtaurati mundi ſub Meſſiâ epochâ in melius convertenda, & juſtitiam

* *Cod. Alexandr.* καινὴν, *Scripturâ non inuſitatâ: utpotè ſimplice vocali pro diphthongo poſitâ: quod millies factum, hujus venerandi codicis membranas volvendo, obſervavi.*

† *MS. Alex.* ἐνοικεῖ.

& probitatem, flagitioſis hiſce hominibus hâc ultimâ internecione deletis, in hoc novo ſeculo permanſuram.

V. 14. Διὸ ἀγαπητοὶ ταῦτα προσδοκῶντες, σπουδάζετε ἄσπιλοι καὶ ἀμώμητοι αὐτῷ εὑρεθῆναι ἐν εἰρήνῃ. *Propter quod Chariſſimi hæc exſpectantes ſatagite immaculati & inviolati ei inveniri in pace.* Non id contentus ſemel monuiſſe Apoſtolus, rem uſque urget, ut ii, qui hæc omnia ſtatim adfutura credunt, & vitâ & moribus ſint emendatiſſimi: ut, cum cæteri, qui rerum hujuſmodi curam negligunt & deriſui habent, ſint σπῖλοι καὶ μῶμοι cap. II. 13. vos ſitis ἄσπιλοι καὶ ἄμωμοι, ut optimè habet codex Ægyptius. Ita enim antitheſis illa, ad quam hic alluſum eſt ab Apoſtolo, melius & planius apparebit. In hâc re maximi momenti operam veſtram omni cum diligentiâ impendite. Laboriosè quidem vobis annitendum eſt, ſi ſapitis, ut ab omni labe purgati, vos ipſos tum animâ tum corpore puros coram Chriſto jamjam venturo ſiſtatis ἐν εἰρήνῃ, h. e. εἰς εἰρήνην, ad bonum veſtrum & proſperitatem, ut Grotius explicat, ut

adventus ipſius vobis in æternam pacem & felicitatem cedat; & ut Chriſtum, quem illi tanquam Judicem in illos ſeveriſſimè animadverſurum horrebunt, vos redemptorem & remuneratorem habeatis. Minus enim altera interpretatio placet, ἐν εἰρήνῃ *in pace*, h. e. ut Chriſtus vos minimè turbatos aut tumultuantes, ruente licet mundo, vel in hiſce deploratiſſimis ſub excidio Judæorum temporibus, ſed placidos & pacatis affectibus reperiat.

V. 15. Καὶ τὴν τοῦ κυρίου ἡμῶν μακροθυμίαν σωτηρίαν ἡγεῖσθε, *& Domini noſtri Jeſu Chriſti longanimitatem, ſalutem arbitremini.* Tam procul abſit à vobis, ut hanc moram, quam facere vobis dolentibus & querentibus præ nimio calamitatum hujus vitæ ſenſu videtur Chriſtus, injuſtis ac indecoris clamoribus criminemini, ut eam potiùs pro ingenti beneficio ducere debeatis, cum ſit tum vobis tum aliis futura ſalutaris. Differt enim pœnam miſericors Deus, ut peccatores criminum ſuorum pœnitentiâ ducti, ſalutem conſequantur. *Non enim delector mor-*

te

te morientis, dictum Domini Jehovæ, avertite itaque vos & vivite. Ezechielis XVIII. 32.

Καθὼς καὶ ὁ ἀγαπητὸς ἡμῶν ἀδελφὸς Παῦλος κατὰ τὴν δοθεῖσαν σοφίαν ἔγραψεν ὑμῖν *ſicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis.*

Omnes Chriſtiani, ſibi invicem charitatis vinculo adſtricti, pulchrum illud ac amabile nomen *fratris* tum ſcriptis tum familiari converſatione promiſcuè uſurpabant: Apoſtoli autem ob peculiare opus Evangelii, quod Chriſtus ipſis aſſignaverit, fraternâ charitate erant conjunctiſſimi. Veruntamen alia videtur ratio hujus amicæ commendationis. Non enim S. Petro conveniebat nomen S. Pauli, quem hic tanquam teſtem citari oportuiſſe credidit, ſine debitis eulogiis intactum præterire. Hoc enim meruit indefeſſus ille labor, igneus ille vigor, zeluſque, quo flagrabat, animas Chriſto lucrandi, copia revelationum, fama, quam apud omnes obtinuerat, ut titulo *fratris* hoc quaſi ornamentum ipſi accedat, ut inde quoque magis con-

ſtet, ſibi in gratiam cum S. Paulo, qui ipſi in os olim obſtitiſſet, omni ſimultate amotâ, rediiſſe.

Aliqui volunt hoc in loco S. Petrum reſpexiſſe Paulinam epiſtolam ad Ebræos, ad quos, tum qui Hieroſolymis vixerint, tum qui eſſent διασπορᾶς Aſianæ, hanc epiſtolam dirigit noſter Apoſtolus. Sed cum parallelus de ſalutari divinæ tolerantiæ ratione locus, juxta argumentum, quod hoc verſu tractatur, in iſtâ epiſtolâ neutiquam ſit reperiendus, ſi modo quæpiam epiſtola peculiaris & à cæteris diſtincta intelligatur, illam ad Romanos ſcriptam S. Petrum innuiſſe veri perquam veriſimile eſt, ut ex capitibus II. & XI. clariſſimè liquet. Quid autem Ebræi converſi, ad quos ſcribit S. Petrus, cum Romanis, ad quos S. Paulus ſcribit? reſpondeo, maximam partem eorum, qui Romæ degentes, fidem Chriſtianam primò amplexi fuerint, Judæos fuiſſe, quos fama Urbis civiliſque vitæ negotia aut neceſſitas illò traxerunt. Ex quo enim Pompeius Hieroſolyma expugnaſſet, ingentem Judæorum multi-

multitudinem aut vi coactam aut ſponte Romam confluxiſſe certo certius eſt. Ad omnes ergò eorundem rituum cultores quaquaverſum per Romanum imperium ſparſos ſpectabat iſtius epiſtolæ argumentum, licet ad Romanenſes Judæos privatim dirigeretur.

V. 16. Ὡς καὶ ἐν πάσαις * ταῖς ἐπιστολαῖς, λαλῶν ἐν αὐταῖς περὶ τούτων *ſicut & in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his;*

* *Videtur* ταῖς *redundare, nec habetur in exemplari Alexandrino, in quo pro* ἐν αὐταῖς *malè reponitur* ἐν αὐτοῖς.

Idem erat omnium epiſtolarum S. Pauli propoſitum ac ſcopus, ut de die judicii ſuperventuro, de ſalute Chriſtianorum ab omnibus hujus vitæ miſeriis impetrandâ, de moribus emendandis, de vitâ denique ad Evangelii normam exigendâ, ne tremendus ille dies, quem exſpectant, eos aut improviſos aut imparatos occupet.

Ἐν οἷς ἐστι δυσνόητά τινα *in quibus ſunt quædam difficilia intellectu:* ἐν οἷς, ac ſi ad res haſce myſticas & hucuſque reconditas in epiſtolis hac & alterâ præcedente tractatas, ſolummodò attendiſſet Apoſtolus, utpote ſine ſpeciali gratiâ ac divinâ illuminatione

tione intellectu difficiles. Sed ſi legamus cum codice Alexandrino ἐν αἷς, quod ſenſus quam maximè exigere videtur, nihil aut dubii aut difficultatis ſupereſſe poterit, quin ad epiſtolas Paulinas referatur. Nec de hac lectione ullatenus dubitandum eſt, cum pro hominum indoctorum & inſtabilium captu idem fatum habent cæteræ quoque Scripturæ, uti addit Apoſtolus, ὡς καὶ τὰς λοιπὰς γραφάς.

Δυσνόητα vero illa, quæ in Paulinis epiſtolis continentur, non ſunt myſteria religionis Chriſtianæ de divinitate Chriſti, de reconciliatione factâ per ſanguinem ipſius, de ejus ſtupendâ à mortuis reſurrectione & aſcenſione in cœlos, de excidio Hieroſolymorum, de fine mundi, & de adventu Chriſti ad judicandum vivos & mortuos: hæc enim ſacra dogmata ubivis patent, & ſingulæ aliorum Apoſtolorum & Evangeliſtarum paginæ eadem cuivis legenti ingerunt: neque ſine horum explicitâ fide & profeſſione cuivis eſſe Chriſtianum liceat. Potius hæc δυσνόητα intelligi arbitror de vocatione Judæorum, de ritibus Moſai-

Moſaicis ac ſacrificiis, quatenus ad Chriſtum referuntur, de Antichriſto, de modo reſurgendi, de ſolâ, quâ juſtificamur, fide, excluſis operibus legis, de gratuitâ Dei miſericordiâ in condonandis peccatoribus, & ejuſmodi difficillimis argumentis, quæ divinum ſolius S. Pauli ingenium, lumine cœleſti adjutum, explicanda ſuſceperit.

Ἃ οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι στρεβλοῦσιν ὡς καὶ τὰς λοιπὰς γραφὰς, πρὸς τὴν τῶν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν, *quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem.*

Hæc omnia ἀμαθεῖς, indocti, qui ad ea interpretanda imparati accedunt, adque rem propoſitam minimè attendentes, leviculiſque ingeniis freti, judicio & intellectu ſano deſtituuntur: & ἀστήρικτοι, in fide parum firmi, nec benè fundati, (ψυχαὶ ἀστήρικτοι, cap. II. 14.) qui præ imbecillitate aut inconſtantiâ mentis non habent ubi firmitèr conſiſtant; ut qui corpore laborant, vacillantibus pedibus, huc illuc inter eundum feruntur, quaſi ſingulis greſſibus, ni innitantur fulcro, in

in terram lapſuri: vel qui à fide, quam olim amplexi fuerint, ſe dimoveri patiuntur; quibus opponuntur οἱ ἐιδότες καὶ ἐστηριγμένοι, cap. I. 12. Hi miſeri homunciones στρεβλοῦσι pervertunt & torquent hæc ſacra dogmata, h. e. à vero & genuino ſenſu, carnificinâ quaſi verbis adhibitâ diſtrahunt, ſuiſque falſis interpretamentis ad finem indebitum mentique Chriſti & Apoſtolorum prorſus contrarium pervertunt, ac ſi omni ſtudio ſanctimoniæ abjecto, aut minus cautè & ſobriè vivere, aut peccato indulgere licuiſſet, & tandem ad ipſorum certiſſimam perniciem.

V. 17. Ὑμεῖς οὖν ἀγαπητοὶ προγινώσκοντες φυλάσσεσθε, ἵνα μὴ τῇ τοῦ ἀθέσμων πλάνῃ συναπαχθέντες. *Vos igitur Fratres, præſcientes, cuſtodite, ne inſipientium errore traducti.*

Epiſtolam hanc finiturus Apoſtolus idem conſilium repetit, ut jam iterum de rebus, quas ſe ignorare in excuſationem cauſari non poterunt, moniti, quam maximè caveant, ne ab horum impiorum fraudibus abripiantur, ἐκπέσητε τοῦ ἰδίου στηριγμοῦ *excidatis à propriâ firmitate.*

Στηρι-

Στηριγμὸς eſt conſtantia illa mentis, quâ fidei Chriſtianæ, quiſquis eam ſincerè amplectitur, ſit retinentiſſimus, nullâ hæreticorum machinâ, artibus nullis, à profeſſione Chriſti amovendus: qui verò hanc fidem deſerit, aut falſis gloſſematis corrumpit, illiuſque ſacris dogmatibus in favorem & præſidium flagitioſæ vitæ abutitur, ἐκπίπτει τοῦ ἰδίου στηριγμοῦ. Quod ne fiat, nihil convenientius magiſve proprium habet Apoſtolus, quod proponat, præter divinum hoc ac ſalutare præceptum verſu ultimo expreſſum.

V. 18. Αὐξάνετε δὲ ἐν χάριτι καὶ γνώσει τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Creſcite verò in gratiâ & cognitione Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti.* h. e. Si ab omni labe & corruptelâ doctrinæ, ſi ab impoſtorum fraudibus, ſi à qualicunque defectione immunes eſſe velitis, hoc ſatagite, ut in gratiâ & cognitione Chriſti magis magiſque proficiatis. Gratia Chriſti vos ab omni periculo & terrore in die illo, qui jam imminet, incolumes præſtabit: Chriſtianæ doctrinæ auctior cognitio vos in hac fide,

fide, quæ fruſtra oppugnabitur, firmiſſimos reddet. Epiſtolam δοξολογίᾳ in Chriſtum Salvatorem claudit Apoſtolus, quam ipſe omni cum debitâ mentis devotione & quâ decet gratiarum actione repeto, eò quod me in hiſce exercitationibus ſacris adjutrice ſuâ gratiâ dignatus ſit;

Αὐτῷ ἡ δόξα καὶ νῦν καὶ εἰς ἡμέραν αἰῶνος. Ἀμήν. *ipſi gloria & nunc & in diem æternitatis. Amen.* h. e non ſolum uſque dum illuxerit ἡμέρα αἰῶνος dies ille novi ſeculi, ſed in omnem æternitatem. Ἡμέρα αἰῶνος pro more conſueto loquendi apud Ebræos idem valet, ac ἡμέρα αἰώνιος, ſive dies, qui nullis ſeculis terminabitur, ſed in æternum durabit.

Varian-

Variantes lectiones hujus Epiſtolæ, ne Librarii quidem erroribus & alliterationibus aut tranſpoſitionibus omiſſis, in gratiam curioſi & eruditi Lectoris, hic ſimul & ſub uno intuitu apponere viſum eſt, ut illas cum impreſſis codicibus faciliori operâ conferat.

CAP. I.

Verſ. 2. Ιησῦ τῦ κυρίε ἡμῶν.	Ιησῦ Χριςῦ τῦ κυρίε ἡμῶν.
3. Διὰ δόξης κ᾽ ἀρετῆς.	ἰδίᾳ δόξῃ κ᾽ ἀρετῇ.
4. Τὰ μέγιςα ἡμῖν κ᾽ τίμια.	τὰ μέγιςα κ᾽ τίμια ὑμῖν.
ἐν κόσμῳ.	ἐν τῷ κόσμῳ. Hanc nimiam περιεργίαν in hujuſmodi minutiis obſervandis mihi candidus Lector condonabit.
5. Καὶ αὐτὸ τῦτο δὲ	κ᾽ αὐτοὶ δὲ.
8. Ὑμῖν ὑπάρχοντα	ὑμῖν παρόντα.

σπυ-

10. Σπουδάσατε βεβαίαν ὑμῶν τὴν κλῆσιν καὶ ἐκλογὴν ποιεῖσθαι.	σπουδάσατε, ἵνα διὰ πάντων καλῶν ὑμῶν ἔργων βεβαίαν ὑμῶν τὴν παρακλησιν καὶ ἐκλογὴν ποιεῖσθε.
οὐ μὴ παίσητέ ποτε.	deeſt ποτε.
11. Τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ σωτῆρος.	τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν.
12. Διὸ οὐκ ἀμελήσω.	διὸ μελλήσω.
13. Ἐν ὑπομνήσει.	ἐν τῇ ὑπομνήσει.
21. Οἱ ἅγιοι Θεοῦ.	ἅγιοι τοῦ Θεοῦ.

CAP. II.

2. Ταῖς ἀπωλείαις, δι' ἧς ἡ ὁδὸς.	Ταῖς ἀσελγείαις, δι' ἧς ἡ δόξα.
4. Σειραῖς ζόφου.	σειροῖς ζόφοις.
εἰς κρίσιν τετηρημένους.	εἰς κρίσιν κολαζομένους τηρεῖν.
10. Καταφρονητάς.	καταφρονοῦντες.
11. Παρὰ κυρίῳ.	deeſt.
12. Ζῶα φυσικὰ, γεγενημένα καταφθορήσονται	ζῶα γεγενημένα φυσικὰ. καὶ φθορήσονται.
13. Ἐν ταῖς ἀπάταις	ἐν ταῖς ἀγάπαις.
14. Μοιχαλίδος πλεονεξίας	μοιχαλίας. πλεονεξίας.

15. Κα-

15. Καταλιπόντες τὴν ἐυθεῖαν	καταλείποντες ἐυθεῖαν absque articulo
17. Νεφέλαι	ὁμίχλαι.
18. Ἐν ἀσελγείαις τοὺς ὄντως ἀποφυγόντας	ἀσελγείαις (absque præpositione) τοὺς ὀλίγως ἀποφεύγοντας.
19. Ὑπάρχοντες	ὄντες.
20. Τοῦ κυρίου καὶ	τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ
21. Ἐπιστρέψαι ἐκ τῆς	εἰς τὰ ὀπίσω ἀναχάμψαι ἀπὸ τῆς
22. Συμβέβηκε δὲ αὐτοῖς	συμβέβηκεν αὐτοῖς

CAP. III.

V. 2. Ἀποστόλων ἡμῶν	Ἀποστόλων ὑμῶν.
3. Ἐπ' ἐσχάτου ἐμπαῖκται	ἐπ' ἐσχάτων. ἐν ἐμπαιγμονῇ ἐνπέκται.
7. Καὶ ἀπωλείας τῶν	καὶ ἀσεβείας τῶν, ubi error ex oscitantiâ Librarii manifestus est.
9. Ὁ κύριος εἰς ἡμᾶς	κύριος sine articulo. δι' ὑμᾶς.
10. Ἐν νυκτὶ	deest.
13. Καινὴν, κατὰ τὸ ἐπάγγελμα αὐτοῦ	κενὴν, καὶ τὰ ἐπαγγέλματα αὐτοῦ.

κατοικεῖ	ἐνοικεῖ.
14. Ἀμώμητοι	ἄμωμοι.
16. Ἐν πάσαις ταῖς	deeſt ταῖς.
ἐν αὐταῖς	ἐν αὐτοῖς.
ἐν ὅις ἐστι	ἐν ἅις εἰσιν.

Πέτρου Β.

S. Au-

S. Auguſtinus de civitate Dei, lib. XX. cap. 18.

NUnc jam videamus, quid etiam Apoſtolus Petrus de hoc judicio ſcripſerit. *Venient in noviſſimo dierum illuſione illudentes ſecundum proprias concupiſcentias ſuas euntes, & dicentes, ubi eſt promiſſum præſentiæ ipſius? ex quo enim Patres dormierunt, ſic omnia perſeverant ab initio creaturæ. Latet enim illos hoc volentes, quia cœli erant olim, & terra de aquâ & per aquam conſtituta Dei verbo, per quæ qui tunc erat mundus aquâ inundatus deperiit. Qui autem nunc ſunt cœli & terra, eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſervandi in diem judicii & perditionis hominum impiorum. Hoc unum verò non lateat vos, chariſſimi, quia unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni, ſicut dies unus. Non tardat Dominus promiſſum, ſicut quidam tarditatem exiſtimant,*

ſed patienter fert propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes in pœnitentiam converti. Veniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu tranſcurrent, elementa autem ardentia reſolventur, & terra & quæ in ipſa ſunt opera exurentur. His ergo omnibus pereuntibus, quales oportet eſſe vos in ſanctis converſationibus, exſpectantes & properantes ad præſentiam Dei Domini, per quam cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore decoquentur. Novos vero cœlos & terram novam ſecundum promiſſa ipſius exſpectamus, in quibus juſtitia inhabitat.

Pauculæ iſtæ variationes Vulgatæ Latinæ verſionis Græco textui continuâ ſerie ſubjunctæ, quas ex adverſo poſui, deſumuntur è margine Bibliorum Latinorum in 8° apud Petrum Santandreanum. M. DC. XIV.

Appendix

Appendix ad pag. 173.

POſtquam typis abſolutæ eſſent ſchedæ, in quibus diſſertationem, quam ante quatuordecim annos Anglicè in publicam lucem emiſeram, de integritate & ἀυθεντία iſtius illuſtris loci 1 Epiſt. S. Joannis, cap. V. verſ. 7. ab exceptionibus, quæ iſti evertendæ à multis ſolent opponi, & quas D. Simonius in Criticâ hiſtoriâ novi Teſtamenti cum magnâ ingenii oſtentatione urget, vindicavi, in alteram Criticæ hiſtoriæ partem, nuperrimè ex Belgio in Angliam advectam, incidi, in quâ idem propoſitum ſacra- Cap. IX.
rum Scripturarum authoritatem vellicandi perſequitur Author, qui Criticorum velit inde perhiberi κριτικώτατος. Nemo ſanè ingenii laudem ipſi invidere, nemo famæ, quam tanta induſtria, quam comptus ſtilus, & expedita facileque fluens oratio vendicat, detrahere aut poteſt aut debet:

modo inter debitos modeſtiæ fines ſtetiſſet iſtud peracre ingenium,& in commune Chriſtianæ religionis damnum improbus iſte labor in hac Criticâ impenſus non ceſſiſſet. Quod aliorum eſt, non attingo, neq; in hoc argumentum maximè varium & diffuſum,quod prodignitate tractari non poteſt,niſi ab iis, qui otio literario, aliiſque, quibus per infauſta hæc tempora deſtituor, ſubſidiis fruuntur, me immitto. An verò quippiam ponderis & momenti audaci ſententiæ de iſtius loci, quem è ſacro contextu eliminare ſatagit, ſuppoſitione novis curis addiderit D. Simonius, paucis examinabo. Æquos Lectores credo me læſæ aut modeſtiæ aut veritatis non poſtulaturos, ſi dixero, vix quippiam, quod ſolidæ objectionis contra præfationem S.Hieronymi in Epiſtolas Canonicas vim habet, de novo additum eſſe, cui in oppoſitâ defenſione quaſi in anteceſſum non ſatisfecerim, & præſertim quicquid habet de ingenio & artibus Librariorum me planè antevertiſſe: adeò ut neutiquam opus ſit, ut conjecturas, quas denuò repetit, iiſdem repetitis argumentis

mentisc onvellam, quod vix ſine tædio Lectoris foret. Sufficit quaſdam ex illis nudè proferre, quæ facilè ex ſe corruent, utpote nulli innixæ fundamento: ejuſmodi ſunt, hunc verſum una cum præfatione circa vel poſt tempora Caroli magni ſacro textui inſertum fuiſſe, quaſi in codicibus, quod vix negare audebit D. Simonius, quibus uſi ſunt Eccleſiæ Africanæ Antiſtites, Fulgentius Ruſpenſis, & Vigilius Tapſenſis, non exſtitiſſet; ab illo tempore omnia Bibliorum Latinorum exemplaria examen Correctorum ſubiiſſe, quaſi ſacrum hoc munus ipſis authoritate publicâ demandatum fuiſſet: cum id ſane privati tum ſui tum aliorum gratiâ ſolerent facere, neque quiſpiam ſtudium ſacrarum literarum in Monaſteriis potiſſimum tunc temporis viguiſſe diffitebitur: ſolis verò exemplaribus, quæ hi qualeſcunque ſint Cenſores Criticis explorationibus examinaſſent, hunc ſeptimum verſiculum, ne textus cum præfatione diſcordaret, reperiri, cætera autem exemplaria, in quibus deeſt, eorundem exploratrices manus omninò evaſiſſe.

Annon ipſe ejuſmodi omiſſionum longè veriſimiliorem rationem ſupra aſſignaverim, omnes præter D. Simonium ſuarum conjecturarum tenaciſſimum judicent. Interea tamen fatetur hanc præfationem in Bibliis Caroli Calvi, & in exemplari imperante Lothario exſcripto aliiſque pluribus exſtare, melioribus verò deſiderari, quaſi illa exemplaria non pari curâ, non eâdem integritate exſcriberentur, aut valor iſtorum codicum, quos fingit meliores, non aliunde quam ex omiſſione hujus præfationis eſſet æſtimandus.

Quod verò dicit D. Simonius quaſdam præfationes in hac collectione S. Hieronymo attribui, quæ revera non ſunt ipſius, (quod an ita ſe res habuerit necne parum intereſt) illud non efficit, quo minus hæc, quâ de controvertitur, præfatio, ſit genuinus S. Hieronymi fœtus, niſi de ipſius ſuppoſitione aliis indiciis, iiſque planioribus, conſtet. Quibus autem modis, quâ Criticâ veræ & genuinæ S. Hieronymi præfationes à falſis & ſuppoſititiis ſint diſcernendæ, per illum hacte-

hactenus non liquet. Modo iſtas præfationes, quæ S. Hieronymo exertim, & præpoſito ipſius nomine, adſcribuntur, integras edidiſſet D. Simonius, illas, ſi non quoad verba, (quod de præfatione in Acta Apoſtolorum certiſſimum eſt) ſaltem quoad ſenſum, ex aliis præfationibus, aut ejuſdem de Scriptoribus Eccleſiaſticis libro petitas eſſe fortaſsè conſtaret.

Deinde, ſi S. Hieronymum in libros veteris Teſtamenti præfationes compoſuiſſe extra dubium ſit, quidni quoque in libros novi Teſtamenti idem feciſſe dixerimus, & præſertim in epiſtolas Canonicas, cum pari verborum elegantiâ & ſtilo perquam ſimili hæc præfatio conſcripta videatur? quod an de cæteris ipſi adſcriptis pariter dicendum ſit, judicet D. Simonius.

At *non occurrit hæc Præfatio in Victorianâ operum S. Hieronymi editione*, ut ob illius omiſſionem fraudis & malæ fidei Eraſmus non ſit arguendus. Eſto, nec id quidem illius ſuppoſitionem omninò probat, modò in codicibus S. Hieronymi non reperiatur. Horum quam rara ſeges, qui

octin-

octingentos aut nongentos annos excedunt; neque fortaſſe in colligendis ſeorſim ipſius præfationibus in libros S. Scripturæ adeò ſoliciti erant Librarii, quas Bibliis ſacris paſſim præfigi viderint. In codicibus MSS. S. Joannis Chryſoſtomi nemo ex editoribus, ne accuratiſſimus quidem & diligentiſſimus, ὁ θεωμαστὸς Savilius, hujus epiſtolam ad Cæſarium Monachum auro contra non charam hactenus reperit, quam tamen illius eſſe ex teſtimoniis Græcè inde petitis, ſi vetus Latina verſio, quam præſtantiſſimi Viri D. Bigotii diligentiæ debet Eccleſia Chriſtiana, non integra exſtitiſſet, ultra omnem dubitationem evictiſſimum eſt; per quæ ſolummodò ſtat, quod iſtam epiſtolam, quæ Tranſſubſtantiationis dogma jugulat, S. Chryſoſtomi eſſe, eâdem pertinaciâ negare non auſurus ſit D. Simonius, quâ præfationem hanc S. Hieronymi eſſe negat. Hæc pauca in præſenti dicenda habeo: neque pluribus opus videtur. Interim D. Simonio bonam mentem & veritatis Evangelicæ amorem ex animo precor & opto:

to : & valeat, ſi præ fervido ingenio rerum novarum cupidiſſimo, immodicoque ſui ipſius amore, & faſtuoſo aliorum contemptu valere poteſt. Si vero quicquam communi eruditorum linguâ, quod Viri gravitate morum & doctrinâ venerabiles, quorum judicio me lubens ſubmitto, reſponſione dignum judicaverint, reponat D. Simonius, meam operam aut in Cyrillo, aut in veritate defendendâ deſiderari neutiquam patiar : ſin alitèr, per me licet, immaturos informeſque tumidi & malè fœcundi ingenii fœtus in lucem feſtinantèr extrudat, famoſoſque libellos conſcribillet ; ipſe, cui hoc contentioſum ſcribendi genus maximè diſplicet, illius iniquas cenſuras, putida convitia, illiberaleſque obtrectationes homine ingenuo & religioſo indigniſſimas, controverſiam hanc inter nos agitatam Lectoribus eruditis & nullo partium ſtudio abreptis relinquens perpendendam, tacitus apud me ſpernam & deridebo.

Londini XXVII
Febr. $16\frac{89}{90}$.

F I N I S.

ERrata graviora, (neque enim literarum permutationes, accentuationes malè adhibitæ aut omissæ, cæteraque minoris momenti in censum referenda sunt) quæ ex vitio Apographi celeriusculè descripti, & ex κακοζηλίᾳ Correctoris irrepserunt, hoc modo emendari possunt.

Pag. 50 lin 4. adeo ut. p. 58. l. 7. pro Romanæ lege Græcæ. p. 80. l. 3. repugnat. p. 85. l. 27. quisque. p. 93. l. 26. statuat. p. 135. l. 11. dele Græcis. p. 144. l. 4. N. Testamenti loca. p. 178. l. 16. fatiscere. p. 180. l. 9. marg. & Origenes apud Euseb. lib. VI. p. 207. l. 6. mors. p. 267. l. 27. agitantem. p. 270. l. 23. dele, potius effugerant. p. 290. l. 6. connexis & coagmentatis. p 304. l. 19. misericordiæ. p. 311. l. 21. elogiis. p. 316. l. 5. dele, pervertunt &.